BIBLIOTECA COMUNALE DI TRENTO

UNIVERSAL SHORT-TITLE CATALOGUE

UNIVERSITÀ DEGLI STUDI DI TRENTO
Dipartimento di Lettere e Filosofia

FONDAZIONE CARITRO
CASSA DI RISPARMIO DI TRENTO E ROVERETO

TRENTO (DIOCESI), *Constitutiones illustriss: et reverendiss: d:d: Ludovici Madrutii S.R.E. tituli S. Laurentii in Lucina, presbyt. card. & episc. Trid. &c. in dioecesana synodo promulgatae anno 1593. Addita forma costituendi census juxta bullam b. Pii V. & declaratione nonnullorum casuum, & contractuum illicitorum &c. prout elenchus capitum in fine operis ostendit. Celsissimi, ac reverendiss: d:d: Josephi Victorii de Albertis episcopi principisque Trident. Iussu denuo editae, et a singulis ecclesiasticis comparandae*, Trento, Francesco Nicolò Vida, 1695.

Esemplare digitalizzato:
Trento, Biblioteca comunale, T I f 11

LINK: https://bdt.bibcom.trento.it/337

BDT – BIBLIOTECA DIGITALE TRENTINA
progetto STABAT – *Stampe antiche Biblioteca comunale di Trento*

COMUNE DI TRENTO

BIBLIOTECA COMUNALE DI TRENTO

UNIVERSAL SHORT-TITLE CATALOGUE

UNIVERSITÀ DEGLI STUDI DI TRENTO
Dipartimento di Lettere e Filosofia

FONDAZIONE CARITRO
CASSA DI RISPARMIO DI TRENTO E ROVERETO

STABAT – *Stampe antiche della Biblioteca comunale di Trento* è un progetto concluso, cofinanziato dalla Fondazione Caritro ("Bando Archivi 2014"), dalla Biblioteca comunale di Trento e dal Dipartimento di Lettere e Filosofia dell'Università di Trento; gli altri partner del progetto sono la Soprintendenza per i beni storico-artistici, librari e archivistici della Provincia Autonoma di Trento e l'University of St Andrews, School of History, USTC – Universal Short Title Catalogue. All'interno di Stabat sono state digitalizzate e descritte tutte le edizioni stampate in Trentino nei secoli XV-XVII che si conservano presso la Biblioteca e l'Archivio storico del Comune di Trento. Ogni digitalizzazione è accompagnata da una descrizione della stampa; tutto il materiale è liberamente consultabile sulla *Biblioteca Digitale Trentina* (http://bdt.bibcom.trento.it/).

In questo file le immagini hanno avuto in trattamento OCR e pertanto si possono fare ricerche testuali; le immagini presenti sul sito, dove si può trovare una descrizione completa dell'edizione, hanno invece una qualità maggiore.

Le immagini presenti nella *Biblioteca Digitale Trentina* sono rilasciate con licenza di Pubblico dominio, il presente PDF è distribuito con licenza Creative Commons Attribuzione – Non commerciale – Non opere derivate 3.0.

STABAT – *Stampe antiche della Biblioteca comunale di Trento* is a project that was successfully concluded thanks to the support of a group of partners, namely the Caritro Foundation ("Bando Archivi 2014"), Trent Civic Library, the Department of Humanities of the University of Trento, as well as the Superintendence for Architectural, Landscape, Historical, Artistic and Ethno-anthropological Heritage for the Province of Trento and the University of St Andrews, School of History, USTC – Universal Short Title Catalogue. All the editions belonging to the Library and the Civic Historical Archive that were printed in Trentino during the XV-XVII centuries have been digitised and described. As a result, each digital copy is accompanied by a record with specific data regarding the printed book, and is freely available to be consulted on *Biblioteca Digitale Trentina* (http://bdt.bibcom.trento.it/).

The images belonging to this file are OCR-converted, hence the text of this edition can be electronically searched. The images available on the website, on the contrary, have a higher resolution and are accompanied by a complete description of the edition.

The images available on the *Biblioteca Digitale Trentina* are public domain files; this PDF is available under the Creative Commons Attribution – Non-commercial – No Derivative Works 3.0 License.

BDT – BIBLIOTECA DIGITALE TRENTINA

progetto STABAT – *Stampe antiche Biblioteca comunale di Trento*

COMUNE DI TRENTO

T. 1. f. 89

11 1 e 20

BIBLIOTECA COMUNALE TRENTO
T
I
f
11

T I F 11

TRENTO
BIBLIOTECA COMUNALE

K 253381
D 15267

T
I
F
11

# CONSTITVTIONES

ILLUSTRISS: ET REVERENDISS: D: D:
LUDOVICI MADRUTII
S. R. E. TITULI S. LAURENTII
in Lucina, Presbyt. Card. & Epiſc. Trid. &c.
*IN DIOECESANA SYNODO*
*Promulgatæ Anno* 1593.

Addita forma conſtituendi cenſus juxta Bullam B. Pii V. & declaratione nonnullorum caſuum, & contractuum illicitorum &c. prout elenchus capitum in fine operis oſtendit.

CELSISSIMI, AC REVERENDISS: D: D:
JOSEPHI VICTORII DE ALBERTIS
Epiſcopi Principiſq; Trident.
*IVSSV DENVO EDITÆ, ET A SINGVLIS ECCLESIASTICIS COMPARANDÆ.*



BIBLIOTECA DELLA CITTÀ DI TRENTO

TRIDENTI.

Ex Typographia Epiſcopali Franciſci Nicolai Vidæ. M. DC. XCV.

*LVDOVICVS Miſeratione Divina S.R.E. Tit. S. Laurentii in Lucina, Presbiter Card. Madrutius Epiſcopus Tridentinus &c. Vniverſis, & ſingulis ſecularium, & regularium Eccleſiarum Prælatis, Decanis, Præpoſitis, Canonicis, Prioribus, Plebanis, Parochialiumq; Eccleſiarum Rectoribus, Capellanis, cæteriſque Beneficiatis, Curatis, & non Curatis, quibuſcunque per Civitatem, & Diœceſim noſtram ubilibet conſtitutis ſalutem, & ſinceram in Domino charitatem. Cùm primùm, ſic Deo diſponente, ad huius Eccleſiæ Epiſcopale munus admoti fuimus, illud præcipuè ſtuduimus, ut illius regiminis rationem ad Divini nominis gloriam, & populi nobis commiſſi ſalutarem directionem, iuxta Sacri Trid. Concilii præſcriptum, inſtitueremus. Quum enim immenſa Dei clementia ad totius orbis Chriſtiani ſalutem illud in hac noſtra Civitate inchoatum, & perfectum vidiſſemus, facile intelligere potuimus, ultra obedientiæ debitæ rationem (quæ nobis cum omnibus Epiſcopis in gratia, & communione Sedis Apoſtolicæ conſtitutis, communis eſt) ipſum huius Sacri Concilii nomen nos quaſi ſpecialiter admonere, ut promptiori ſtudio ſaluberrimas illius conſtitutiones, & decreta, tanquam falcem quandã aſſumeremus, qua ſentes, & vepres, qui temporum iniuria in hac vinea quæ Divina voluntate nobis excolenda obtigit, excinderentur. Vbi itaque per difficultates, & impedimenta, quæ regiminis noſtri initia exceperunt, licuit, per plures viſitationes, quas partim per*

nos ipſos, partim per deputatos idoneos viros obivimus, per diverſa etiam decreta, ac ſerias admonitiones id quantum in nobis fuit, egimus ut ipſius Epiſcopal. officii functiones ita dirigerētur, ut quoad fieri poſſet, tam clerus, quàm populus noſtræ diœceſis, traditæ à Sacro Concilio Tridentino diſciplinæ, vita & moribus responderet. Vnde etiam ſæpius Prædeceſſorum noſtrorum Synodales conſtitutiones, quibus huius Epiſcopatus regimen maximè niti videbatur, ad prædicti Concilii præſcriptum reformare cupivimus; verùm cum publicis, iiſque graviſſimis de cauſis ſæpius hinc avocati fuerimus, diutius, quàm volebamus, id differre coacti fuimus. Tandem verò Dei benignitate opportunitatem toties deſideratam nacti, unà cum Ven. Capitulo Cathedralis Eccleſiæ noſtræ, & tutius Cleri ſynodali præſentia conſtitutiones à bo. me. Cardinale Bernardo, & pluribus aliis Prædeceſsoribus noſtris longa ſerie ad huius diæceſis uſum, & neceſsitatem accommodatas, Divino implorato auxilio, matura deliberatione præhabita, prout horum temporum ratio exigere videbatur iuxta Sacri Concilii regulas, & diſpoſitiones ĩnovavimus, ampliavimus, ac reformavimus, prout etiam præſenti earum publicatione, & editione innovamus, ampliamus, & reformamus, auctoritate noſtra ordinaria. In virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub pœnis, & cenſuris in illis contentis, vos diſtrictiùs requirentes, quatenus huiuſmodi conſtitutiones, & ſtatuta prompto affectu ſuſcipiatis, & pro ſtatutis ſynodalibus obſervetis. Omnia tamen, ut debemus, ſanctæ Sedis Apoſtolicæ iudicio ſubmittendo, ac ſalvis etiam patriarchalibus ordinationibus, diſpoſitionibus, nec non aliorum Prædeceſſorum noſtrorũ conſtitutionibus, quatenus in uſu ſunt & per præſentes has noſtras non ſunt aliter declaratæ, ſeu correctæ, quibus derogare non intendimus.

## DE PROFESSIONE FIDEI.
### Cap. I.

CVM Eorum omnium, qui Ieſu Chriſti Salvatoris noſtri gregi paſcendo, præpoſiti ſunt, præcipua cura eſſe debeat, ut fidem, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, unam, illibatamq; conſervent, ac fideli populo proponant, & prædicent: Nos hanc fidei unitatem in Diœceſi noſtra, quoad, favente Deo, poſſumus, integram, & ab omni labe ſinceram ſervare volentes; duximus conſtitutionibus noſtris Synodalibus præmittendam eſſe ejusdem Fidei profeſſionem, ea forma quam ſanctæ mem. Pius IV. Pontif. Max. ex generalis Concilii Trid. ſententia præſcripſit; videlicet. CREDIMVS, & profitemur omnia, & ſingula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo ſancta Romana Eccleſia utitur. CREDO in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem Cœli, & Terrę, viſibilium omniũ, & inviſibilium: & in unum Dominum Ieſum Chriſtum filium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante omnia ſęcula: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verũ de Deo vero, genitum, non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt: qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis, & incarnatus eſt de Spiritu ſãcto ex Maria virgine, & homo factus eſt: Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus, & ſepultus eſt: & reſurrexit tertia die ſecundùm ſcripturas, & aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram Patris: & iterum venturus eſt cum gloria judicare vivos & mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritũ ſanctum Dominum, & vivificantẽ, qui ex Patre, Filioq; procedit: qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & cõglorificatur: qui locutus eſt per Prophetas, & unã ſanctam *Fidei profeſſio.*

 Catho-

Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam: Confiteor unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum, & expecto reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi ſęculi. Amen.

Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas traditiones, reliquasq; ejuſdem Eccleſiæ obſervationes, & conſtitutiones firmiſſimè admittimus, & amplectimur. Item ſacram ſcripturam juxta eum ſenſum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione ſacrarū ſcripturarum, admittimus; nec eam unquam, niſi juxta unanimem conſenſum Patrum accipiemus, & interpretabimur. Profitemur quoq; ſeptem eſſe verè, & propriè Sacramenta novę legis à Ieſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis (licet non omnia ſingulis) neceſſaria: ſcilicet Baptiſmum, Cōfirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam unctionem, Ordinem, & Matrimonium: illaq; gratiam conferre, & ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem, ſine ſacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoq;, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſupradictorum omnium Sacramentorum ſolemni adminiſtratione recipimus, & admittimus. Omnia, & ſingula, quæ de peccato originali, ac de juſtificatione in ſacroſancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerūt, amplectimur, & recipimus. Profitemur pariter, in Miſſa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium Sacrificiū pro vivis, & defunctis, atq; in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe verè, realiter, & ſubſtantialiter corpus, & ſāguinem una cum Anima, & Divinitate Domini noſtri Ieſu Chriſti; fieriq; converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem: quā converſionem Catholica Eccleſia tranſubſtantiationem appellat. Fatemur etiam ſub altera tantùm ſpecie totum, atq; integrum Chriſtum, verumq; Sacramentum ſumi. Conſtanter tenemus, Purgatorium eſſe, animasq; ibi detentas, fidelium ſuffragiis juvari; ſimiliter & Sanctos una cum Chriſto

regna-

regnantes, venerandos, atq; invocandos eſſe, eosq; orationes Deo pro nobis offerre, atq; eorum reliquias eſſe venerandas. Firmiſſimè aſſerimus, imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis, nec non aliorum Sanctorum hābēdas, & retinendas eſſe; atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam poteſtatem à Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarumq; uſum Chriſtiano populo maximè ſalutarem eſſe affirmamus. Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum matrem, & magiſtram agnoſcimus: Romanoq: Pontifici, beati Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſori, ac Ieſu Chriſti Vicario, verā obedientiam ſpondemus, ac juramus: cætera item omnia à ſacris Canonibus, & Oecumenicis Conciliis, ac præcipuè à ſacroſancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipimus, atq; profitemur; ſimulq; contraria omnia, atq; hæreſes quaſcunq; ab Eccleſia damnatas, & rejectas, & anathematizatas, nos pariter damnamus, reiicimus, & anathematizamus. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, quam in præſenti, ſpontè profitemur, & veraciter tenemus, eandem integram, & inviolatam uſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſimè, Deo adiuvante, retinere, & confiteri, atq; à noſtris ſubditis, vel illis, quorum cura ad Nos in noſtro munere ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantùm in nobis erit, ſumus curaturi.

Volumus autem, ut qui in hac noſtra Diœceſi ad Canonicatus, & dignitates quaſcunque, etiam regulares, ac beneficia curata promoti fuerint, hanc fidei profeſſionem emittant, ſecundùm præſcriptum Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 12. incip. Cum dignitates in Eccleſiis &c. *Fidei profeſſio à quibus emittendâ.*

Et quia in hac noſtra Diœceſi, multis locis cōtingit Parochos ob populi frequentiam, & parochiarum amplitudinem, plures habere Cooperatores, quibus confeſſiones audiendi

& Divini verbi prædicandi munus communicatur; ſtatuimus, ne quis in Cooperatorem aſſumatur, niſi priùs in noſtra, aut Vicarii noſtri, aut de noſtro, vel Vicarii noſtri mādato, in alterius manu, fidei profeſſionem emiſerit.

Monemus verò omnes, qui ex præcepto ſacri Conc. Triden. fidei profeſſionem emittere tenentur, præcipuè autem illos, quibus animarum cura quoquomodo incumbit, ut attentè & diligenter emiſſę profeſſionis fidei formam, & quæ in illa continentur conſiderent, curentque ore prolata, opere adimplere, docendo ſubditos ſuos, & Plebem ſibi commiſſam, ut in ſuſcepta à majoribus fide conſtanter perſeverent; Conſtitutiones, traditiones, ſtatuta, & cæremonias ſanctæ matris Eccleſiæ obſervent; Summo Pontifici, tanquā vero Chriſti in terris Vicario, debitam obedientiam præſtent.

## DE HÆRETICIS.
### Cap. 2.

ET cùm hæreſis fidei catholicæ, ut certiſſima peſtis, adverſetur, omni ſtudio eſt elaborandum, ne illius contagione grex fidei noſtræ commiſſus inficiatur. Statuimus itaque, ne quis in hac noſtra Diœceſi, ea docere, tenere, credere, aut aſſerere quovis modo præſumat, quæ Sancta Catholica Romana Eccleſia damnat, & anathematizat. Libros item, ſcripta, & tractatus ea continentes nullus importare, vendere, emere, recipere, legere, aut quomodolibet penès ſe tenere audeat, ſub pœnis, quę tàm in Summorum Pontific. & ſacri Conc. Trid. quàm Orthodoxorum Imperatorum, & Catholicorum Principum cōſtitutionibus, nec non noſtrorum Anteceſſorum decretis continentur. Quare vniverſis, & ſingulis, tam Eccleſiaſticis, quàm Sęcularibus perſonis, diſtrictè in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub cenſuris Eccleſiaſticis præcipimus, ut, excluſa omni malitia, ſi quos ſciunt hæreticos, vel de hæreſi qualitercunque ſuſpectos, eos Nobis, aut Vicario noſtro ſine mora revelare pro-

*Hæretici revelandi*

procurent. Prælatis inſuper, & Eccleſiarum parochialium Rectoribus committimus ſub eiſdem pœnis, & aliis arbitrio noſtro infligendis, ut ſi quos intellexerint diſſeminare errores, aut hæreſes, conventicula facere, de fide, & religione obloqui, prohibitę, & damnatæ lectionis libros, tractatus, aut ſcripta palam, vel occultè tenere, aut legere, tales Nobis quamprimùm denuncient; tum verò diligenter vultum ſui gregis obſervent, & ſi quos inordinatè ambulare, neque per omnia ad fidelium uſum juxta ſtatuta, ordinationes, & laudabilem antiquam Catholicæ Romanæ Eccleſiæ conſvetudinem ſeſe conformare cognoverint, eos in Chriſti viſceribus moneant, & corrigant; quos ſi contumaces, ac depravato affectu perſpexerint, de eo Nos, vel Vicarium noſtrum quantocitiùs edoceant.

*Hæreſeos ſuſpecti denūciandi.*

Moneant etiam confitentes, ut ſi quos noverint de hæreſi ſuſpectos, Eccleſiaſtico Iudicio denuncient, oſtendantq; ex charitate, & obedientia erga ſanctam matrem Eccleſiam, eos ad hoc teneri, cùm & errantium ipſorum correctio, & reliquorum ſalus ex eo pendeat, ut latens virus detegatur: intimando pænitentibus, illos beneficium abſolutionis obtinere non poſſe, ſi hæreticos, & ab Eccleſia deſciſcentes ſcienter occultaverint.

*Qui hæreticos ſcienter occultāt nō abſolvendi.*

Et quia publici commercii ratio in his locis, ſecum trahit promiſcuum quandoq; hominum concurſum, etiam ex locis, ubi hæreſis impunè graſſatur; Curati diligentiores ſint, pręcipuè nundinarum tempore, in inveſtigando, an per diverſoria, de religione ſermones habeantur, & à quibus, & quales? an libri prohibiti adferantur, diſſeminenturq; an diebus, quibus ab Eccleſia interdictum eſt veſci carnibus, illæ menſis apponantur? & ſimilia. Et ſi quid tale repererint, Nos, aut Vicarium noſtrum certiores reddant, ſuos ſubditos frequenter, ac diligenter admonentes, ut ſtabiles in fide, aures nullis novitatibus accommodent. Quòd ſi Parochi cōpererint, opiniones dānatas diſſeminari, vel aliàs

*Curati vigilent contra Hæreſes.*

perverſorum hominum dictis, aut factis tentari, ac labefactari fidem, & conſcientiam puſillorum; tales redarguere, & Catholicæ veritatis rationibus confutare ſtudeant, impiisq; eorum conatibus ſeſe opponant, etiam invocato (ſi opus fuerit) brachii ſæcularis auxilio, Nosq; aut Vicarium noſtrum generalem de eo quantocitiùs admoneant.

*Pueri ad hæreticor. loca non mittantur.*

Cùm etiam ex aliquibus hujus noſtræ Diœceſis partibus mercimoniorum, vel aliis de cauſis, contingat pueros, & adoleſcentes ad civitates, & loca hæreſi infecta, à ſuis ablegari; Parochi ſolicitè Parentes, vel majores, aut in quorum ſunt poteſtate, dehortentur, ne juvenes, vel pueros ad huiuſmodi loca mittant, vel certè eos probatis, & Catholicis viris diligenter commendent; ipſos verò juvenes efficaciter obteſtentur, ut in religione Catholica conſtanter perſiſtant; ne, dum momentaneum commodum ſectantur, æternæ ſalutis jacturam faciant: ſeque ſemper, dum in locis ſuſpectis commorantur, virorum Catholicorum, & proborum conſortio adjungant, hæreticorum familiaritatem, & conſvetudinem, quantùm poſſunt, devitantes.

Deinde domum reverſos Parochi diligenter examinent, an monitioni ipſis factæ ſatisfecerint, hoc eſt, an catholicè vixerint, an ſtatutis ab Eccleſia temporibus peccata ſint confeſſi, & ſacram Euchariſtiam ſumpſerint. Et ſi quos à via recta deflexiſſe, hæreticisq; imbutos eſſe opinionibus congnoverint, eos Nobis, vel Vicario noſtro quamprimùm denuncient.

*Qui pueros ad hæreticorũ loca obſtinatè mittunt, denunciandi.*

Tum verò Parochi gravibus verbis dehorentur Parentes, vel majores, ſeu in quorum poteſtate ſunt juvenes, ne omninò ad illas partes eos mittant, in quibus nullum Catholicæ religionis exercitium eſt relictum. Si verò Parochi viderint parentes, vel majores tanquàm ſalutis ſuorum impiè prodigos, hanc dehortationem contemnere, ſuumq; mittendi propoſitum exequi, tales, ut de hæreſi vehementer ſuſpectos, non tantùm diligenter obſervent, ſed etiam Nobis,

vel

vel Vicario noſtro denuncient.

Et quia non ſolent deeſſe, qui ipſam teneram juventutem erroneis opinionibus inficere conantur, ordinamus, ne quis poſthac ullo prætextu ad docendi munus admittatur,ne ad ipſa quidem prima litterarum elementa tradenda,niſi priùs profeſſionem fidei in manibus Parochi, in cujus parochia munus exercere volet,emiſerit; quam ſi eorum quis facere detrectaverit, illicò Nobis, vel Vicario noſtro denũcietur. *Ludimagiſtri fidẽ profiteantur.*

Mandamus proinde,ut Parochi diligenter pernoſcere ſtudeãt Inſtitutores puerorum ſuę parochiæ, videantq; ut ſeſe huic conſtitutioni per omnia conforment. Et qui ab Eccleſiis, vel Parochis ſtipendium accipiunt, pręſertim per diſtrictũ Atheſinum, niſi quæ ad latinam linguam pertinent, diligenter docuerint, Parochi eos propria auctoritate ab officio removeant. Super omnia autem curent Parochi, ne quid à Magiſtris Catholicæ fidei, & bonis moribus contrarium prælegatur, aut in diſcipulorum manibus verſetur: Scholam etiam cum oratione; VENI ſancte Spiritus: inchoent, & cum Oratione Dominica, Salutatione Angelica, Symbolo Apoſtolorum, & Decem præceptis, ac aliqua gratiarum actione terminent. *qualia in ſcholis doceantur attendendũ.*

## DE LIBRIS PROHIBITIS, & Typographis. Cap. 3.

CVm etiam ex nimia librariorum, & Typographorum licentia magna immineant pericula; Nos ut illis, juxta Decretum ſacri Conc. Trid. opportunè occuramus: ſtatuimus,& prohibemus,ne quis,ſive incola fuerit, ſive peregrinus,libros damnatorum,aut ſuſpectorum auctorum ſecundùm Indicem Romanum, & ejus Regulas, in hanc noſtram Diœceſim, & ditiones inferre, aut venales tenere audeat, ſub pœna confiſcationis librorum,& aliis Noſtro,ſeu Vicarii noſtri generalis arbitrio infligendis. *Seſſ. 4. decr. de edit. libr. incip. inſup. eadem.* *Libri dãnati proſligandi.*

Statui-

Statuimus item,& ordinamus,ne Parochi locorum,in quibus, ſtatis anni temporibus, nundinæ celebrantur, ullos libros venales proponi patiantur, niſi Bibliopolæ ipſis eorum indicem, ſeu catalogum prius exhibuerint examinandum; ut pernitioſi à bonis, & probatis diſcerni queant.

*Librorum indices examinandi.*

Quod ut accuratiùs obſervetur, diſtrictè præcipimus omnibus cujuſcumque ſtatus Præfectis, & Iudicibus Terrarum, Iuriſdictionum, & locorum temporalis Domini hujus Eccleſiæ Trid. cæteros verò ſeriò in Domino requirimus, ut Parochis in hujus noſtri decreti executione, ſua auctoritate, & auxilio adſint, ut ſi contigerit damnatæ lectionis libros penès aliquem reperiri,curent juxta præmiſſa,contra importantes, & tenentes ſeverè procedi.

*Scripta oĩa ſcandaloſa inſectanda.*

Si itẽ reperti fuerint libri,aut ſcripta,ſive tractatus, cantilenę, aut ſimilia,vernacula, & vulgari lingua compoſita,in quibus contineantur hæreſes,ſeu errores, aut ſcandaloſa; ea, licèt in IndiceRomano non contineantur,Parochi diligenter colligant,neque patiantur evulgari, curentq; ut contra ſimilia importantes, ut ſupradictum eſt, pro modo culpæ ſevere procedatur.

*Picturæ ſcãdaloſæ.*

Idem facient de picturis,quibus vel religioCatholica traducitur,aut hæreſis ſimplici populo obtruditur.

*Decani ſint vigiles.*

Admonemus etiam Decanos Rurales, ut pro viribus, & ipſi non tantùm in propriis parochiis, ſed etiam in totis ſuis Decanatibus in hoc advigilent, ipſos Parochos ſui officii admonendo, &,ſi neceſſitas poſtulabit, brachium ſeculare contra inobedientes invocando. Quòd ſi in hoc remiſſiùs viderint procedi, de eo quamprimùm Nos, ſeu Vicarium noſtrum certiorem faciant.

*Seſſ.4.decr. de edit. §. ſed, & impreſſoribus.*

Impreſſores verò juxta modum eis à ſancta Triden. Synodo præſcriptum, nullum librum, vel quodcunque ſcriptum tam antea ubivis locorum impreſſum,quam non impreſſũ excudere poſſint ſine noſtra,vel Vicarii noſtri licentia, ipſa verò Originalia cum exemplis concordantia, in Archivio

noſtro

noſtro reponi volumus, ne cui fraudi locus relinquatur. Contrafacientes, præter exemplorum amiſſionem, alias pœnas noſtro arbitrio luent.

## DE BLASPHEMIS.
### Cap. 4.

VT Populus à Blaſphemiæ abominabili peccato ſeſe contineat, Parochi, & verbi Dei concionatores ejus enormitatem ſæpè exponent; pœnas à lege Divina, à ſacris Canonibus, à Summis Pontificibus, ab Imperatoribus, à Catholicis Principibus, ac noſtris etiam Anteceſſoribus in blaſphemos promulgatas, ipſis ob oculos ponendo. *Bulla Pii V incip. cum primùm Apoſtolatus*

Interim etiam in Domino monemus, & diſtrictè mandamus quibusvis judicibus tàm Eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus, ut contra hujuſmodi Majeſtatis Divinæ contemptores debitis pœnis procedant.

Et quoniam reprimenda eſt etiam eorum temeritas, qui ſacræ ſcripturæ verbis, & ſententiis abutuntur ad profana, fabuloſa, ſcurrilia, vanitates; ac ſcommata, contumeliaſque eas convertentes; ſi quiſquam id facere deprehenſus fuerit, pœnis debitis ſeverè contra eum, juxta ſupradictarum legum rigorem, procedemus. *Conc. Trid. ſeſſ. 4 in fine*

## DE SVPERSTITIONIBVS.
### Cap. 5.

LICET Divina lex maximè deteſtetur Magos, Striges, Ariolos, Incantatores, Divinos, Sortilegos, & id genus ſuperſtitioſos, & maleficos homines; ac contra tales, & illis credentes, illos conſulentes, eorum opera utentes, non tantùm extent ſeveræ Dei comminationes, ſed etiam legibus tam Eccleſiaſticis, quàm ſęcularibus graviſſimę illis pœnę infligantur; nihilominùs intelligimus hujuſcemodi diabolicas

bolicas impietates, & abominationes nondum à noſtro Epiſcopatu planè exulare. Proinde diſtrictè mandamus, ut contra quoſcunque maleficos, ſtriges, incantatores, necromantas, divinos, & id genus ſacrilegos impoſtores, ligaturis, characteribus, incognitis figuris, imaginibus, verbis ignotis, dæmonum invocationibus, adorationibus, ſacramentorum, aut ſacramentalium abuſu, & profanatione, aut quolibet alio modo ſuperſtitioſo, de futuris contingentibus inveſtigantes, theſauros, & res perditas ſimili modo inquirentes, pluvias, ſiccitates, tempeſtates procurantes, maleficia inducentes, aut etiam maleficio ſolventes, aut quomodolibet ſuperſtitioſa, vana, pernicioſa, ut præfertur, attentantes, necnon illos de his, & ſimilibus conſulentes, illis faventes, & cooperantes ſeverè ſecundùm ſacrorũ Canonum præſcripta, & Summorum Pontificum Conſtitutiones, pro modo culpæ, etiam tanquàm contra ſuſpectos de hæreſi, aut apoſtaſia à fide, procedatur.

*Contra maleficos procedendum.*

*Malefici, &c. denunciandi.* Moneantq; Parochi fideles omnes, ſub pœna excommunicationis, ut ſi tales noverint, illos Nobis, aut Vicario noſtro denuncient.

Et quia plerunque contingit, aliquos animi ſimplicitate in hæc delabi, non attendentes delicti gravitatem; injungimus Parochis, & Curatis necnon verbi Dei concionatoribus, ac Confeſſoribus, ut fideli populo, etiam in caſu amiſſionis rerum ſuarum, acceſſum ad divinatores prohibeant, ſæpeq; in mentẽ reducant, quam Deo abominabile ſit hoc delictum, quod cum manifeſta, aut certè occulta dæmonũ ſocietate conjunctum, illaqueatas animas tenebrarum poteſtati mancipat. Ac propterea moneant eos, ut non ſolùm graviores, & atrociores ſpecies ſuperſtitioſarum impietatum, ſed etiam illas evitent, quæ leviores, & vanæ videntur: cùm ubiq; ſeſe his inimicus dęmon ſua operatione, ad fallendas, & in præceps trahendas animas, immiſceat. Si verò moniti non reſipuerint, tunc Nobis, aut Vicario

*Acceſſus ad divinatores prohibendus.*

cario

cario noſtro ſine mora eos indicare teneantur.

Si cui Parocho, aut Curato, vel Confeſſario inſtrumēta, ſcripta, aut alia ad hujuſcemodi artium diabolicarum exercitium facta à pœnitentibus, aut aliis exhibita fuerint, ea quamprimùm Vicario noſtro Generali tradant. *Maleficialia inſtrumenta Vic. exhibenda.*

## DE PRÆDICATIONE Verbi Dei. Cap. 6.

QVoniam ad culturam agri Dominici, ipſi verbo Dei ineſt vis incomparabilis, admonemus curam animarum exercentes, ut præcipuam officii ſui, ac ſolicitudinis partem poſitam eſſe meminerint in ejuſdem verbi prædicatione, ex qua, ut populus ipſi commiſſus majorem fructum capiat, eos in Domino hortamur, ut ſermonem ſuum captui ejuſdem populi accōmodent, præcipuè huc reſpicientes, ut fidei Chriſtianæ rudimenta, & ſalutis monita tradentes pietatis, & religionis documenta fidelium animis, Deo cooperante, imprimant: ac proindè in Dei verbo meditentur die, ac nocte, ſcientes omnem ſcripturam divinitùs inſpiratam utilem eſſe ad docendum; & verbum Dei eſſe malleum conterentem petras; & ſæpè in ſimplicitate ſuſcipi à puſillis, & parvulis trementibus ſermones ejus. *Curati verbū Dei prędicent.* *Sermo captui auditorum accōmodandus.*

In exponendo verò ſacro Evangelio, & verbo Dei ānunciando, nullibi ab intelligentia Sanctæ matris Eccleſiæ deflectant, unanimem ſanctorum Patrum ejuſdem Eccleſiæ Doctorum interpretationem, & ſententiam, ſine hæſitatione ſequentes: atque hac ſalutari doctrina innixi, Dominicis, & feſtivis diebus, quando populus majore frequentia ad Eccleſias confluit, ea præcipuè explicabunt, quæ omnes ſcire neceſſarium eſt ad ſalutem. *Iuxta ſensū Eccleſiæ prędicandū* *Neceſſaria ad ſalutem explicanda. Conc Trid. ſeſſ. 5 c. 2. de refor.*

Tum verò diligenter meditentur, quæ ſacrum Concil. Trid. fidelibus à Parochis, diverſis occaſionibus potiſſimùm exponi, & doceri mandat. Quare Cathechiſmum Romanum, *Seſſ. 24. c. 4. de refor.*

& ex modernis illos auctores, qui omiſſis ſupèrfluis quæſtionibus, ea tractant, quæ fideli populo his tẽporibus pro recta fidei, & pietatis inſtructione ſunt proponenda, aſſiduè perlegant.

*Populo quæ inculcanda.* Maximè verò curabunt, ut populus intelligat gravitatem delictorum, eorum præcipuè, quæ frequentiùs in ipſorum Parochiis committuntur, ea denique ſæpius inculcabunt, quæ ad vitam piè, & Chriſtianè inſtituendam requiruntur. *Prædicatio quo fine terminanda.* In fine autem ſermonis ſemper vulgari lingua orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolorum, & Decem præcepta ſubjungant.

*Quæ omittenda.* Obſcuras, ac indeterminatas quęſtiones, audientium captum excedentes, quæ ad pietatem parùm, vel nihil faciunt, omittant.

*Quę vitãda.* Apocrypha, vana, fabuloſa, & Evangelicę prædicationis gravitate indigna, evitent.

Hæreticorum opiniones, & argumenta è ſuggeſtu non referant, niſi quando id neceſſitas poſtulat: atque tunc ita ſint inſtructi, ut dilucidis, & claris reſponſionibus ea diluere valeãt; ne ullus in mentibus audientium ſcrupulus hęreat.

Amarulentias, aut inconcinnum rigorem, quo auditores non ædificantur, fugiant: vbi verò verborum acrimoniam res ipſa poſtulat, ſit ſermo ſale conditus, & ſpirans charitatem; ſeveritas pungat, & dirigat; percutiat, & ſanet.

In ſumma, hoc tantum munus ea charitate, prudentia, & aſſiduitate exequantur, quam fidelis populi inſtructio, & ad ſalutem per mandatorum Dei obſervantiam, directio poſtulabunt, ſciantque ad id efficiendum, magnum pondus acceſſurum eſſe, ſi vitæ innocentia, integritateq; miniſteriũ verbi commendetur. *In Parochorum innocẽtia magnũ pondus eſt.* Quòd ſi Parochi huic ipſorum Divini verbi prædicandi officio non ſatisfecerint, contra eos ſeverè procedemus; & ad illa remedia deveniemus; quibus ipſorum negligentia, ac defectus ſuppleantur, juxta Trid. Conc. præſcriptum ſeſſ. 5. c. 2. de refor. & ſeſſ. 24 c. 4.

## DE DOCTRINA CHRISTIANA.
### Cap. 7.

*Parvuli in fide Chriſtiana erudiendi.*

VT teneræ ætatis animis fidei, & religionis, unde univerſæ vitę piè inſtituendę ratio pendet, rudimenta inſtillentur; omnes Rectores, Capellanos, & alias perſonas Eccleſiaſticas hortamur, & in Domino iis injungimus, ut huic tàm neceſſario operi diligenter invigilent; parvulos, & quoſcunque alios rudimentorum fidei ignaros, Dominicis, & Feſtivis diebus in Eccleſiis congregent, ac contenta in libello ſub noſtro nomine, ea de re edito, ſtudiosè iiſdem prælegant, & interpretentur.

Quod ut majori cum fructu præſtare poſſint; parentibus, tutoribus, ac patribus familias ſeriò mandamus, ut filios ſuos & alios ſibi ſubjectos ad ſaluberrimum hoc exertitium mittere non prætermittant.

## DE PRÆDICATORIBVS extraordinariis examinandis.
### Cap. 8.

QVia ſæpe uſu venit, ut diverſorum ordinum Prædicatores, quadrageſimali tempore ad villas, & Parochias per Diœceſim noſtram deſtinentur, admodùm exiguo populorũ fructu, dum vel nimiũ juvenes mittuntur, vel in iis, quæ ad veram pietatem tradendam ſpectant, parùm inſtructi.

*Prædicatores quales deſtinandi.*

Ideò præcipimus, & ordinamus, ut Vicarius noſter, & qui ad hoc deputati ſunt, juxta locorum neceſſitatem, & qualitatem perſonarũ illos dirigant; & ſi quos noverint aliàs ſcãdaloſè ſe geſſiſſe; vel non illa eſſe eruditione, & prudentia, ut prædicandi munus decenter exequi poſſint, tales nõ admittant; neq; eis literas, aut patentes concedant, ſine quibus à nullo Parocho noſtrę Diœceſis quemq; religioſum volumus ad munus prędicãdi extra regulares Eccleſias admitti,

Qui verò ad prædicandi munus per Diœceſim deſtinabuntur ſeriò à Vicario noſtro admoneantur,ut tã Parochos, quàm populos, ad quos mittuntur,paterna benevolentia, & pietate proſequentes,munus ſuum cum charitate,& prudentia exequantur. Illa non iſta faciant, quę rudis populi intelligentiam excedunt. Verũ cognitio ex Parochis, & probis viris ſtatu, & conditione populi,ad ejus ſe captum accomodent; de Chriſtianis virtutibus, & oppoſitis vitiis, prout neceſſitas exiget,ita tractent, ut ad ſalutaria auditores dirigant, & ab illis peccatis, & vitiis, ad quæ procliviores noverint, avocent.

*Ad captum populi prędicandum.*

Et quia admiſsi ad concionandi munus, etiã ad confeſsiones audiendas approbantur, volumus,ut illis diſtrictè inhibeatur, ne ſeſe in caſibus Epiſcopo, ne dum Summo Pontifici Romano reſervatis, ingerant. Et ſi quem ex rationabili cauſa à proprio Parocho abſolutionem non impetrare cognoverint, talem neq; ipſi abſolvant. Venientes ab aliis Parochiis ſine ipſorum Parochorum licentia, omnino non abſolvant, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio prædicandi, & confeſsiones audiendi in noſtra Diœceſi, & aliis ad arbitrium noſtrum,vel Vicarii noſtri.

*A Parocho non abſolutũ neq; concionator abſolvat.*

Moneantur, ut tam in cocionibus, quàm in confeſſionibus ſalutari cum rigore tractent caſus uſurarios, & illicitos, & quæ in præſenti Synodo ſtatuta ſunt, atque in admonitionibus ad Parochos.& Curatos editis continentur; diligenter obſerventur; tum etiam edicta, quibus damnatorum contractuum ſpecies proponi curabimus; attentè meditentur.

*Vſurarii & illiciti contractus inſectandi.*

Si quis autem ex iſtis concionatoribus (quod abſit) in concionibus, vel alias ſe ſcandaloſè geſſerit, id Nobis à Parochis indicari volumus, ut contra eos juxta diſpoſitionem ſacri Conc. Trid. ſeſſ. 5. cap. 2. de refor. procedi poſſit.

*Scandaloſos concionatores Parochi denuncient.*

DE

# DE SACRAMENTIS in genere. Cap. 9.

QVia Fidelis populi ſanctificationem, & juſtitiam Sacramenta Eccleſiæ regulariter operantur, augent, & amiſſam reparant; Parochi docebunt juxta Sacri Concilii Trid. præſcriptum, hæc ipſa Sacramenta à Chriſto Domino Noſtro, ad lapſæ per peccatum naturæ reparationem, inſtituta Divinæ gratiæ eſſe inſtrumenta, quibus inexhauſta virtus paſſionis, & mortis ejus dignè ſuſcipientibus applicatur. *Seſſ. 7.*

In adminiſtrandis verò Sacramentis, volumus per Parochos, & animarum curam gerentes, exactè eum modum, & cæremonias obſervari, quæ tum è Sacris Canonibus per Oecumen. Conc. Trid. tum in Rituali noſtro præſcribuntur: in primis diligenter obſervando, ut ante cujuſque Sacramenti adminiſtrationem, breviter lingua vernacula ad captum ipſorum ſuſcipientium, explicetur vis, & uſus ipſius Sacramenti. *Seſſ. 24 c. 7 Sacramenti adminiſtrandi vis explicanda.*

Fugiant verò in adminiſtratione Sacramentorum, omnem ſpeciem avaritiæ; neque quicquam ex pacto, vel conventione exigant, ſed Sacramenta ipſa bene diſpoſitis, abſque dilatione pro loco, tempore, & neceſsitatis exigentia, piè promptè adminiſtrent juxta Eccleſiæ inſtitutum. *Omnis avaritię ſpecies fugienda.*

Poſt ipſa verò Sacramenta adminiſtrata, non prohibentur recognitionem ex conſuetudine debitam exigere, juxta cap. ad Apoſtolicam, de Simon. In quo tamen caveant, ne offendiculum, aut ſcandalum præbeant.

# DE SACRAMENTO Baptiſmi. Cap. 10.

DOceatur populus, natura filios iræ per Baptiſmum regenerari in filios, & hæredes vitę æternæ; qui cum propte-

rea differri minimè debeat, ſtatuimus natum infantem quamprimùm, vel ad ſummum intra octiduum ad Eccleſiam eſſe deferendum, & baptizandum.

*Baptiſmus accelerādus*

Parochus autem antequàm ad baptizandi actum deveniat, diligenter inquirat, an infans ob aliquod periculum fuerit baptizatus, & ſi repertus fuerit ritè eſſe baptizatus, eo caſu, ne ſub conditione quidem amplius baptizet, ſed tantùm impoſito nomine infanti, conſvetas preces, ſacram unctionem, atque alia adhiberi ſolita, juxta ipſum Rituale adjungat.

*Sub conditione quando Baptizādum.*

Et quia experientia doceat, aliquando conſtare vix poſſe, an à laicis baptizatus, baptiſmum verè ſuſceperit. Ideo ad medendum in hoc Sacramento tam perículosè incertitudini, Parochus quomodolibet baptizatum, ubi probabiliter de baptiſmi validitate dubitat, baptizet juxta modum præſcriptum in Rituali.

*Baptiſmi formā omnes doceri debent.*

Doceant etiam Parochi diligenter formam, & materiam hujus Sacramenti, admoneantq; omnes, viros juxta, ac mulieres, ne facilè moveantur ad Baptizandum infantem: ſed tunc tantùm, quandò probabiliter periculum mortis timetur, nec copia eſt præſentis Sacerdotis, aut alterius Sacris initiati: & tunc adhibita aqua naturali, & ſimplice, accuratè utantur integra forma. Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Verba ipſa formalia ſemel tantùm proferendo.

*Sanctorum nomina baptizandis imponenda.*

Moneant præterea Parochi infantum parentes, ut baptizandis ſanctorum potiſſimùm nomina imponi curent, in quorum tunc ſortem vocantur.

*patrini quot & quales non admittendi.*

Ad levandos de ſacro fonte infantes ſit tantùm unus compater, aut una commater, vel ad ſummùm unus, & una: Neq; admittantur publicè criminoſi, hæretici, aut excommunicati, imò neq; illi, qui abſque legitimo impedimento omiſerint ſemel ſaltem in anno tempore ab Eccleſiā conſtituto, peccata ſua confiteri, & Sacram Euchariſtiam ſummere.

Item

Item moneri volumus compatres, & commatres de ſpirituali cognatione, quę in ſuſceptione contrahitur, ac illius impedimento, juxta Conc. Trid. declarationem, ſeſſ. 24. cap. 2.

Statuimus etiam ut compatres, & commatres, non impuberes deligantur; ne videatur infans infantem offere, ac ſponſorem ſe Deo pro alio conſtituere, qui quod promittit, non intelligat. *Impuberes patrini non admittendi.*

Inſuper improbamus illorum faſtum, qui citra caſum neceſſitatis ambitiosè curant, ſuos infantes in domibus privatim baptizari, poſthabito templo Domini. *In templo Baptizand.*

Et cum baptizandi renuncient diabolo, & pompis eius; fideles admoneātur, ut filios regenerandos offerant cum devotionis affectu, eas pompas devitantes, quæ jactantiam, & oſtentationem præſeferunt. *Pompæ vitandę in baptizan.*

Habeant inſuper Parochi librum benè ligatum, & qui poſſit conſervari, & cum neceſſitas poſtulat, ad manus etiam poſt longum tempus haberi, in quo annotent nomen baptizati, patris, matris, & ſuſceptorum, diem quoque, menſem, & annum: tum etiam ſi infans illegitimus, aut ex incerto patre natus eſt. *Liber baptizatorum.*

Reliqua ad Sacramentum hoc ritè adminiſtrandum pertinentia, ex Catechiſmo Romano, & Rituali noſtro petantur.

## DE SACRAMENTO Confirmationis. Cap. II.

PER Baptiſmum renati, Sacramento Confirmationis augentur in gratia, & perfectum animi robur accipiunt, ac ad luctam contra Diabolum, Mundum, & Carnem armantur, quò ſtabiles in fidei ſuſceptæ confeſſione, perfectos ſe Chriſti milites exibeant; quod à Parochis Populo Dei diligenter inculcari volumus. *Confirmationis effectus populo inculcādus.*

Moneant pariter Sacramentum hoc ſumma reverentia, devotione, humilitate, ac omni puritate, prævia in adultis con- *Adulti cōfirmādi cōfiteantur.*

confeſſione, ſuſcipiendum eſſe. Nulli minori ſeptennio præbeatur.

Parochi priuſquam ſacrum Chriſma ſit adminiſtrandum, doceant confirmandos de hujus Sacramenti inſtitutione, materia, effectu, & miniſtro, juxta illa, quæ in Cathechiſmo ad Parochos traduntur. Quod etiam Epiſcopus, hujus Sacramenti miniſter ordinarius, de more præſtare ſolet.

*Liber confirmatorum.* Teneant Parochi librum, in quo nomina Confirmatorum, & Compatrum deſcribantur, uti de baptizatis injungitur.

Admoneantur preterea ſuſceptores, & ſuſcepti, de ſpirituali cognatione, quam contrahunt; & de onere, ac obligatione doctrinam Chriſtianam confirmatos docendi.

*Confirmandum offerre qui prohibeantur.* Decet etiam ne mulieres adultos, neque viri adultas, teneant; ſed in utriſque ſervetur ſexus conformitas; & ne junior ſeniorem offerat, atque in univerſum, qui non fuerit confirmatus, & eo anno non fuerit ſua peccata confeſſus, & Euchariſtiam non ſumpſerit, qui orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolorum, & Decem præcepta non calleat; item publicè criminoſus, hæreticus, aut aliàs excommunicatus: Hi, inquam, nullo pacto confirmandum offere præſumat. Pater, & Mater, filium, aut filiam non offerant. Denique offerentes quicumque, nullis armis inſtructi accedant.

## DE SACERDOTIBVS AD SACRVM Chriſma conficiendum mittendis. Cap. 12.

NE propter defectum clericorum, qui in die Cœnæ Domini ad ſancti Chriſmatis confectionem neceſſariò requiruntur, aliquod ſcandalum oriatur; Prædeceſſorum noſtrorum Decreto inhærentes, mandamus, ut in illam diem per Rectores Eccleſiarum parochialium, & alios ex infraſcriptis ſex Decanatibus, & aliis Eccleſiis noſtræ Diœce-

ſis

ſis, mittantur Sacerdotes vigintiquatuor; videlicet ex Prępoſitura Sancti Michaelis ad Atheſim, mittatur Sacerdos unus: Ex Decanatu ad longum Atheſim, quinque: Ex Decanatu Bulzani duo: Ex Decanatu Vallium Annaniæ & Solis quinque: Ex Decanatu Iudicariarum, quinque: Ex Clero Archi unus: Ex Decanatu Ripano, unus: Ex Decanatu Vallis Lagarinę, quatuor. ( Cura autem, & munùs deputandi eos, qui quotannis mittendi ſunt, Decanis Ruralibus incumbat ) Qui quidem Sacerdotes hora congrua, ſub pulſu campanæ magnæ, ut moris eſt, præſtò adſint in Eccleſia Cathedrali, cum aliis officium peracturi. Et eo finito, ac chriſmate conſecrato, teneantur pro omnibus illis, à quibus miſſi ſunt, ſecum Chriſma deferre, diſtrictè prohibentes ne ab illis, aut aliis noſtræ Diœceſis Sacerdotibus, & Curatis ad Chriſma recipiendum laicus ullus mittatur, neque Sacriſta ulli laico illud deferendum dare præſumat. Contrafacientes pœna decem librarum mulctentur, applicanda eorum Parochiali Eccleſiæ. *Laicus nullus ad Chriſma diferēdum mittatur.*

Quòd ſi fortè contingat Tridenti Chriſma non confici; tunc ipſi Decani foranei pro tempore providebunt, ut Tridento deferatur; & claſſes ſingulæ prædictorum Decanatum mittant Sacerdotem ad ſuum Decanum, à quo Chriſma accipiat pro ſua claſſe: Contribuendo ipſi Decano libras ſingulas in ſingulos ſuæ claſſis Plebanos, pro ſumptibus in deferendo factis.

## DE SACRAMENTO Euchariſtiæ. Cap. 13.

De ſacro hoc admirabili, & tremendo myſterio, vix pauci dici poſſunt, quæ populo fideli à Parochis ſunt inculcanda, ut condecenter ſeſe præparet ad fruendum myſtico hoc Angelorum cibo, quo mens omnium ſpiritualium Chariſmatum abundantia impinguatur. Hortentur ergo

 ante

ante omnia, Plebem Parochi,ut prævia diligenti diſcuſſio-ne propriæ conſcientiæ,& per integram,& fructuoſam pænitentiam, cum timore, & tremore accedant ad tanti Regis menſam.

*Fideles frequentẽt sã ctam communionem.*

Doceant item , maxime fidelibus expedire, frequenter cœleſti hoc dono frui, præſertim in majoribus feſtivitatibus. Quadrageſimali verò tempore, diebus Dominicis, & ante hebdomadam ſanctam,ſæpius omnes moneant utriuſque ſexus fideles, in legitima ætate conſtitutos, ut ſeſe præparent per Sacramentalem confeſſionem,ad ſumendum tempore Paſchali Sacram Euchariſtiam. Quòd ſi quis ſanctæ matris Eccleſiæ præcepto in hoc non paruerit, ſemel, aut iterum infra octavam Paſchæ admoneatur: ſi ne tum quidem evigilaverit, Parochus, vel Curatus ejus nomen ad Nos, vel Vicarium noſtrum generalem quàmprimùm deferat.

*Euchariſtia pro infirmis*

In illis Eccleſiis, in quibus animarum cura exercetur, tàm in Civitate, quàm extrà per Diœceſim, aſſervetur Euchariſtia in vaſe argenteo intrinſecus deaurato,ſuper Altari majore, in Tabernaculo, quoad fieri poteſt, ornatiſſimo; Lampasq; coram eo perpetuò luceat; & qvum ad ægrotos defertur Sacramentum hoc, evocetur populus campanæ ſono, & præſertim ſocietates, ſi quæ ſunt: Sacerdos devotè, & reverenter pſallendo illud deferat, Cota, Stola, & Pluviali indutus: adſint item cerei, & umbella. Pluviale tamen, & umbella alicubi per Diœceſim, ex cauſa omitti poſſunt.

*Proceſſio Corporis Chriſti.*

Proceſſio quæ ſingulis annis in feſtivitate corporis Chriſti, ſit, celebretur devotè, & reverenter: adſit per vias, & congruis locis ornatus, quàm fieri poteſt decentiſſimus. Nil exponatur, agatur, vel repræſentetur, quod riſum, ſeu irreverentiam moveat, aut profanam ſapiat vanitatem; nec tormenta, aut bombardæ in ipſa proceſſione diſplodantur.

DE

# DE SACRIFICIO MISSÆ.

## Cap. 14.

QVoniam verò his tẽporibus exulceratiſſimis hoſtes Eccleſiæ nihil acrius impugnant,quam ſacrificium Miſſæ; Parochi, & alii curam animarum gerentes diligenter meditentur, quæ de Sanctiſſimo hoc ſacrificio Oecumenicum Trid. Concil. ſtatuit, quidque doceri de eodem poſtulet: circa quod etiam Catechiſmum Romanum conſulãnt,fideles populos crebrò admonendo,ut tremenda hæc myſteria piè venerentur, illorum vim, fructumq; ineffabilem,quantum quidem fieri poteſt, & intelligere ſtudeant, & ardenti animi deſiderio ad illum anhellent.

Tum verò diligenter attendatur Decretum de obſervandis,& evitandis in celebratione Miſſæ ſeſſ. 22. quibus adiungenda eſt diligens lectio, & cognitio Rubricæ ipſius Miſſalis reformatæ.

Sacerdos celebraturus,ſi conſcius ſibi fuerit peccati mortalis, Sacramentaliter confiteatur, iuxta Decretum Conc. Trid. ſeſſ. 13. cap. 7. incip. ſi non decet.

Noverint etiam Sacerdotes maximè decere, ut qui frequentiùs, vel ex devotione, vel officio celebrant, ſingulis hebdomadibus Sacramentaliter confiteantur. *Sacerdos frequenter confiteatur.*

Nullus Sacerdos, ut aliam Eccleſiam honoret, propriam deſerat ſine Sacrificio Miſſæ diebus Dominicis, aut aliis feſtivitatibus, quibus ex præcepto Eccleſiæ populus Miſſæ Sacrificio intereſſe debet, niſi Eccleſia,quam honorare intendit, ſit vicina, & ad illam populus ſuæ Eccleſiæ tunc confluere ſoleat. *Feſtis dieb. Eccleſia propria nõ deſeratur ſine Miſſa.*

Nullus Sacerdos Sęcularis audeat primam Miſſam celebrare, ſine noſtro,aut Vicarii noſtri conſenſu: quo obtento, juxta Decretum de obſeru. & evit. in celebrat. Miſſ. omnino abſtineat ab omni illiberali eleemoſinarum exactione ; quæ cum à ſordido quæſtu non abſit,pari modo fugienda eſt in omni celebratione Miſſarum. *Miſſa Novella.*

Muſici & Organiſtæ à cantu laſcivo , à profanis carminibus ad choreas accommodatis, in Eccleſia abſtineant.

*Miſſę debitæ celebrandæ.*

Statuimus prætcrea,& ordinamus, ut Miſſas debitas quilibet Sacerdos ,aut beneficiatus per ſe, vel per alium idoneum, perſolvat ſuis Altaribus, & Capellis juxta eorum fundationes.

Idemq; in Eccleſiis,ubi diebus Dominicis, & aliis ſolennitatibus Miſſæ Sacrum, & Veſperæ decantari ſolent, in poſterum diligenter ſervetur.

*Seſſ. 25 decret. de pur. ad finem. Miſſæ pro defunctis.*

Volumus etiam,ut juxta Trid. Conc. Decretum,fidelium vivorum ſuffragia, Miſſarum ſcilicet ſacrificia , orationes, eleemoſynæ, aliaq; pietatis opera, quæ pro defunctis fieri cenſveverunt, ſecundum Eccleſiæ inſtitutum piè,& devotè fiant, ipſiq; Rectores, Parochi,& Beneficiati fideliter , & diligenter juxta teſtatorum fundationes , ea præſtent, & perſolvant.

*Populus ad proprias parochias accedat.*

Præterea populus moneatur, ut diebus ſaltem Dominicis , & majoribus feſtis, ad proprias Parochias accedat ad audiēdum verbum Dei. Ipſi autem Parochi , & Curati infra Miſſarum ſolennia ex jis , quæ in Miſſa leguntur aliquid exponant, atque inter cætera , ipſius Miſſæ myſterium aliquod declarent.

*Ante Miſſā finitam,non recedendū.*

Damnanda verò eſt illorum irreverentia,qui Dominicis,aliiſq; feſtis diebus, quibus ex ſanctæ matris Eccleſiæ præcepto in ſuis Eccleſiis Miſſam integram audire cum teneātur, nihilominus temerè de templo ante Miſſam finitam , & Sacerdotis benedictionem recedunt; & pariter illorum; qui dum Miſſa celebratur,& divinum verbum prædicatur, fabulis,& nugis in cœmeterio tempus extrahunt,plerunq; ſecularia tractantes, malo fidelium exemplo,& contra ſacrorum Canonum ſanctiones. Cui malo Nos opportunè providere cupientes, ſtatuimus,ut Parochi,& Curati omnes aliquando per annum in Eccleſiis publicent,Canonem antiquum, capit. Miſſas, diſtinct. 1. de conſecrat. Cujus te-

*Miſſa, & prædicationis tempore nō eſt in cœmeterio tricandum.*

tenor eſt Miſſas die Dominicā ſecularibus totas audire,ſpeciali ordine præcipimus, ita ut ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non præſumat: quod ſi fecerint ; ab Epiſcopo publicè confundantur. *Canon publicau.*

*Nota.*

Qui igitur admoniti in prædictis contrafecerint, ſubiaceant, præfatorum canonum pœnis; atq; inſuper mulctam incurrant librarum duarū per Syndicos exigendarum, & Parochiali Eccleſiç vel alii pio uſui ad arbitrium Parochi applicandarum, quibus etiam pro ipſo labore exigendi dentur quaterni cruciferi ex hujuſmodi mulcta.

Moneant Parochi,& Rectores, ingredientes Eccleſias, ut omnino bombardas, haſtas, & alia arma inſueta deponant ; qui ſi non obedierint,tanquam contumaces Nobis, vel Vicario noſtro deferantur. *Inſueta arma in Eccleſias non ferenda.*

Si verò ſcandala , vel pericula ab hujuſmodi contumacibus veriſimiliter oritura timeantur , Sacerdotes etiam à celebrando abſtineant.

## DE ARA PORTATILI.
### Cap. 15.

INſuper omnibus & ſingulis Sacerdotibus ſub pœna excōmunicationis,& Marcharum quinque prohibemus, ne in noſtra Diœceſi ſuper Ara portatili,ad requiſitionem cuiuſquam celebrare præſumāt, ſine ſpeciali noſtra licentia, in ſcriptis habita; & non niſi in dedicato ad hoc oratorio à Nobis, vel Vicario noſtro, viſitando.

In viſitationibus etiam Altaria portatilia perquirantur:&quę non ampla,& commoda reperta fuerint, tollantur.

De cætero vero lapis conſecrandus pro Altari portatili ſit lōgitudinis unius ſaltem palmi cum dimidio , & latitudinis unius palmi, ita ut commodè calicem cum hoſtia capiat.

DE

## DE ALTARIVM ORNATV, Imaginibus, & cultu reliquiarum Sanctorum. Cap. 16.

ALtaria decenti ornatu, quantum fieri poteſt, exculta, & nitida ſint, & ante omnia ſalutiferæ Crucis ſigno condecorata, ac pari ſtudio Eccleſiæ ipſæ, ſicut decet domum Dei, ab omni ſitu, & ſqualore vindicentur, puræque, ac mundæ conſerventur.

*Imagines indecoræ*

Si quæ fuerint iu Eccleſiis imagines vetuſtate, aut aliàs indecorę, & offenſionem præbentes, eæ debito modo tollantur.

*Cap. 2. de reliq. & vener. Sanct. c. corpora, de conſecr. diſt. 1.*

Ne verò in cultu reliquiarum Sanctorum, quæ in aliquibus diœceſis noſtræ Eccleſiis reconditæ reperiuntur, abuſus ullus oriatur, vel minus decenter cuſtodiantur: mandamus illas per Sacerdotes, quorum curæ ſub inventario authentico, committantur, diligenter & honorificè in loco ſacro, & ſub diligenti clavium cuſtodia in capſulis, vel pyxidibus ne à manu laica contrectentur, conſervari, & non niſi omni cum reverentia oſtendi; in viſitationibus verò ordinariis eas diligenter recenſeri volumus.

*Reliquiæ SS. in viſitationibus recēſendæ*

## DE SACRAMENTO POENITENTIÆ. Cap. 17.

CVM Sacramento pœnitentiæ, lapſis poſt baptiſmum, beneficium mortis Chriſti applicetur, alia tamen ratione, quàm in Baptiſmo: Parochi, & alii curam animarum exercentes, ſæpius per annum, præcipuè verò tēpore Quadrageſimæ diligenter populo explicabunt ſaluberrimi hujus, & maximè neceſſarii Sacramenti virtutem, & efficaciam.

*Parochi ſæpe de confeſſione tractent.*

In primis verò docebūt, quid ab illis, qui à ſuſcepta ſemel gratia excidentes, peccatorum ſordibus Spiritū ſanctum contriſtaverunt, requiratur. Quod ut efficaciùs præſtare poſint Parochi, habeant in promptu ſacri Conc. Trid. De ſacramento

mento pœnitētię, & juſtificatione impii doctrina, meditentur etiā diligēter, quæ in Cathechiſmo ad Parochos de his traduntur. Quibus omnibus adhibeant probatiores ſummas, illos auctores, qui dilucidè, piè, & eruditè de Sacramento pœnitentiæ, ejuſq; partibus tractant: illud præcipuè intendentes, ut cum timore, & tremore diſcant fideles recogitare dies ſuos in amaritudine animæ ſuæ; quo excitati Dei miſerantis auxilio, per veram contritionem, integram confeſſionem (qua diſtinctè, & ſigillatim peccata ſua enumerent, & in ſpecie recenſeant) & operis ſatisfactionē poſſint pervenire ad eam gratiam, quæ ex Dei inſtitutione, ſancto hoc ſacramento adminiſtratur.

Quapropter primis ſtatim diebus Quadrageſimæ publicabūt capitulum: Omnis utriuſque ſexus, &c. populumq; monebunt, ut tempeſtivè ſe præparet ad confeſſionem.

*Cap. de pœnitenit. & rempulican.*

Habeant caſus Epiſcopo reſervatos: item Bullam in Cœna Domini, ut ſi qui eos adeunt, hujuſmodi caſibus irretiti, ſciant eos cum charitate, & opportunis monitionibus, conſilio etiam, & auxilio, ad illos dirigere, qui facultatem habent tales abſolvendi, in quo magna circumſpectione curabunt, ne aliis innoteſcat, tales reſervatis caſibus eſſe illaqueatos.

*Caſus reſervati.*

Si qui rationabili cauſa petunt à propriis Parochis licentiam alteri Sacerdoti confitendi, ea non gravatè concedatur: ita tamen ut probato Sacerdoti confiteatur, ab eoque fidem habeant in ſcriptis de confeſſione facta.

*Confitendi alteri à Parocho licentia quomodo concedē.*

Et quia nonnunquam contingit, aliquos à proprio Parocho abſolutionem Sacramentalem non obtinere, ſi cauſæ negatæ abſolutionis ſunt manifeſtæ, puta contractuum damnatorum, vel concubinatus, vel quævis alia Canonica; tunc nullus alius ſacerdos ſecularis, aut regularis tales abſolvat, ne ſub prætextu quidem Iubilei, quantumvis ampli: cùm nullæ facultates illis ſuffragentur, qui abſque debita ſatiſfactione prætendunt informi confeſſione effugere pœnas

*à proprio Parocho nō abſolutus quando nec ab alio ſacerdote ſit abſolven.*

cap.

cap. omnis utriuſque ſexus.

Et quia difficillimū eſt delicta intelligere; & pœnitentium animos, tot, & tam diverſis peccatorum involucris implicitos fructuoſè tractare, confeſſarii ad audiendas confeſſiones approbati, diligenter, & attentè conſiderabunt caſus difficiliores, ut ſunt qui ab uſurariis, & aliis illicitis, & injuſtis contractibus, item à materia reſtitutionum, cenſurarum Eccleſiaſticarum, & ſimilibus pendent: quos ſi de ſua peritia, & ſcientia diffidentes, evolvere non poterunt, alios peritiores, & magis expertos conſulant.

*In caſib. difficilioribus peritiores cōſulendi.*

Quapropter injungimus etiam Decanis foraneis, ut aliquando per annum ſacerdotes congregent, & ſi quid obſcurum, aut difficile occurret circa caſus conſcientię, inter ſe conferant, & ſi neceſſarium videbitur, ad Nos, vel Vicarium noſtrum generalem referant.

*Decani aliquando ſacerdotes cōgregent.*

Et quia Sacerdotes vice Dei Salvatoris noſtri, hoc fori conſcientiæ judicium exercent; meminerint ſibi inevitabilem impoſitam eſſe neceſsitatem, ut vitæ, & morum integritate, muneri tam ſublimi reſpondeant: proinde in primis Dei auxilio ſeſe exibeant, ut miniſtros Chriſti, in patientia, & charitate.

*Fori cōſciēt. iudicium Divinum.*

In audiendis confeſsionibus eam adhibeant gravitatem, quæ Divinum hoc Tribunal decet.

Non niſi in Eccleſia confeſsiones audiant, exceptis caſibus neceſsitatis. Sint induti Cotta, & Stola, ſedentesq; audiant confitentes.

*Confeſſiones in Eccleſia audiendæ.*

Mulieres tantummodo clara luce (niſi gravis cauſa excuſet) audiant, idq; in loco patente, & in ſedibus confeſsionalibus ad hoc deputatis.

*Mulieres quō audiēdæ.*

Et quia experientia docet, multos ſalubriùs confiteri, ſi animi eorum appoſitè, & cum charitate tractentur: ideo ſecundum neceſsitatem locorum, temporum, & perſonarum confeſſarii advertant ad ea peccata, quibus confitentes magis obnoxios conſpiciunt, ac quanta poſſunt diligentia, prudentia,

dentia, & charitate, nunc manſvetudine, & commiſeratione, nunc etiam (ſi id neceſſitas poſtulabit) ſalutari cum rigore, quærant animarum lucrum, & pœnitentium ſalutem.

Proinde curabunt, ut ipſi pœnitentes ſinceram eorum erga ſe charitatem agnoſcentes, vulnera animarum, & anguſtias conſcientiæ liberiùs, & fideliùs detegant.

Et quia non deſunt, qui arbitrentur ſe ſatisfacere præcepto, & neceſſitati Sacramentalis confeſſionis, per quandam generalem confeſſionem; Parochi & concionatores, ubi id maximè neceſſitas poſtulat, monebunt tales de integræ confeſſionis partibus, tum præcipuè de ipſa peccatorum, & circumſtantiarum eorundẽ neceſſaria enumeratione: ac propterea Parochi non admittant pœnitentes catervatim; videantq; ut tanta diſtantia à confitente cæteri abſint, ut quæ dicuntur tam à pœnitente, quàm Sacerdote, à circunſtantibus audiri non poſſint. Et populum ſuum moneant, ut tempeſtivè ad confitendum accedant, nec ad ultimos Quadrageſimæ dies differant.

*Pœnitentes non catervatim admittendi.*

*Confitendũ tempeſtivè,*

Non raró etiam contingit, ut adverſa valetudine laborantes, majorem curam gerant corporis, atque externorum bonorum, quàm ipſius animæ. Vt igitur eorundem imbecillitati conſulatur, ſeriò monendos eſſe duximus medicinæ profeſſores, ut cum primum ad ægrotos vocati fuerint, omni ſtudio eos inducere nitantur, ne animę minus quàm corporis ſalutem quærant: quod futurum eſt peccatorum ſincera confeſſione, & Euchareſtiæ ſumptione: Nam & hæc ad ſanitatem corporalem recuperandam, via eſt valde expedita. Quod quidẽ ſi infirmi facere negligant; Nos inhærentes Conſtitutioni fel. rec. Pii V. quæ incipit; Supra gregem Dominicum, &c. omnibus, & ſingulis Medicis noſtræ Diœceſis mandamus, ut poſt ſecundum diem, (niſi confeſſarius ægroto ex rationabili cauſa, longius ad confitendum ſpatium conceſſerit) infirmum amplius non viſitent, donec peççata ſua ſit confeſſus, & ſacram Euchariſtiam ſumpſerit.

*Medici corporales dirigant ægrotos ad medicos ſpirituales.*

*Bulla Pii V.*

Alio-

Alioquin pœnas in ſupradicta Bulla contentas, ipſo facto Medici ipſi incurrant.

*Parochiarũ termini non transgrediendi.*

Vetamus autem ſub interminatione Divini Iudicii, ne ullus Sacerdos tam regularis, quàm ſecularis, terminos parochiarum, qui à majoribus noſtris, aut à Nobis ſunt conſtituti, tranſgredi (ſola neceſſitatis cauſa excepta) & alienæ curæ ſubiectos, ad confeſſionem admittere, aut alia Sacramenta adminiſtrare præſumat, niſi deſuper proprii Parochi petita licentia.

*Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 7.*

## DE EXAMINE EORVM QVI AD audiendas confeſſiones deputantur. Cap. 18.

CONcilium Trid. ſeſſ. 23. cap. 15, prohibet, ne ullus Sacerdos etiam regularis poſſit Secularium, nec Sacerdotum quidem confeſſionem audire, nec ad id idoneus reputari, niſi aut Parochialem Eccleſiam regat, aut ab Epiſcopo per examen (ſi illi videbitur eſſe neceſſarium) aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis danda eſt, obtinuerit. Extat præterea conſtitutio Pii Quinti anno M D L XXI. edita, quæ incipit: Romani Pontificis providentia &c. qua declarat loco citato Concilii, comprehendi etiam Regulares mendicantes, & conſequenter jubet, omnes hoc Epiſcoporum examen ſubire.

*Pij V. conſtitutio.*

Quo circa Nos etiam gravibus ſcandalis, quæ ex illorum aut ignorantia, aut negligentia oriuntur, qui ſeſe audiendis confeſſionibus ingerunt, occurrere volentes: Statuimus, & vetamus, ſub pœna excommunicationis, ne ullus Sacerdos tam ſecularis, quàm regularis beneficium curatum non obtinens, audiendis confeſſionibus ſeſe immiſceat, niſi priùs à Nobis, vel Vicario noſtro fuerit approbatus.

*Sacerdos nullus niſi ab ordinario approbat. confeſſiones audiat.*

Et ut fructuosè hæc audiendarum confeſsionum facultas iis tantùm impertiatur, qui poſsint debito modo animarum

lan-

languoribus, ſalutaris pœnitentiæ medicamentis ſuccurrere; admonemus omnes ad audiendas confeſſiones approbatos, nec non illos, qui ad hoc munus deſtinantur, aut adſpirant, ut diligenter Catechiſmum Romanum, & probatas ſummas perlegant, multiplices conſcientiæ caſus attentè conſiderent, ſeſeq; ita, Domino juvante, præparent, ac diſponant, ut poſſint cum ſpirituali animarum lucro, hoc Dei Tribunal exercere.

Volumus etiam, ut qui audiendarum confeſſionum facultatem requirunt (niſi ſint ejus doctrinæ, & experientiæ, ut examini ſubiiciendi non videantur) diligenter interrogẽtur de forma abſolutionis; de peccatorum differentiis, & circumſtantiis; de excõmunicationibus, irregularitatibus, de caſibus reſervatis, de ſatisfactionibus, pœnitentiis, & aliis, quæ neceſſariò hoc conſcientiæ judicium exercentes, ſcire debent. *Ad confeſſiones audiendas admittendi de quibus ſunt interrogandi.*

Quòd ſi ex reſponſionibus apparverit, aliquem Catechiſmum Romanum, vel non legiſse, vel non percepiſſe, nec ſtudium adhibuiſſe, ut ex lectione, & meditatione probatarũ Summarum, aliorumq; piorum tractatuum potuerit inſtrui, ad hoc munus non indignè tractandum; is omni reſpectu poſtpoſito, repellatur; neque prius admittatur, quàm conſtiterit eum tantum profeciſſe, quantum muneris hujus rectè exequendi ratio poſtulat.

## DE SACRAMENTO EXTREMÆ Vnctionis. Cap. 19.

PArochi congruo tempore fidelibus hujus Sacramenti virtutem, & efficaciam explicabunt, illoſque monebunt, ut procurẽt, illud infirmis in tempore adhiberi, quò percipiẽtes quę circa ipſos hoc extremo pietatis officio aguntur, intelligant ſe hujus Sacramenti gratia munitos, ex hac mortali vita expeditiorem viam ad cœlum habere. *Infirmi tẽpeſtivè inungendi.*

Ipſos infirmos verbis placidis, & piis erigent in ſpem exuberantis miſericordiæ Dei; illos exortantes, ut hoc Sacramentum ea devotione ſuſcipiant, ut & corporis, & animæ ſalutem benigniſſimæ Dei voluntati reſſignent. Hæc autem & alia his accommodata Parochis abundè ſuppeditabit diligens lectio Cathechiſmi Romani.

*Regulares confeßarii ægrotantiũ, Parochos de languentis periculo certificent.*

Quòd ſi regularis ad alicujus infirmi confeſſionem audiendã vocatus fuerit, is ſi periculum mortis infirmi imminere cognoverit; moneat aſtantes, ut tempeſtivè Parochum de languentis periculo certificent. Si verò probabiliter poſſit præſumere, ipſos id in tempore forſitan non facturos, ipſemet Parochum adeat, ne ex ignoratione periculi, contingat infirmum abſque extremæ unctionis ſolatio decedere.

*Oleum infirmorum decenter aſſervandum, & deferendũ.*

Atque ut hoc Sacramentum in debita reverentia habeatur, ſtatuimus, ut ſacrum oleum in tuto, & honeſto loco, & vaſculo argenteo, vel ſtanneo mundo, & decenti ab aliis Sacrorum oleorum vaſculis diſtincto, honorificè ſervetur, & qua decet reverentia deferatur.

In cæteris ad Ritualis noſtri præſcriptum, & cæremonias Miniſtri recurrant.

## DE SACRAMENTO ORDINIS. Cap. 20.

*Seß. 23. c. 1.*

PArochi, & alii omnes, quibus verbi Dei populo ãnunciandi cura commiſſa eſt, doceant juxta Sacr. Conc. Trid. præceptum, Ieſum Chriſtum ſalutis noſtræ auctorem, ut dilectæ ſponſæ ſuæ Eccleſiæ viſibile reliquit ſacrificium, ſic etiam viſibile inſtituiſſe ſacerdotium.

Ac propterea populum diligenter monebunt, ut ſpiritualem hanc poteſtatem non hominum meritis, aut conditione metiantur, ſed potius in ipſis Miniſtris, Dei miniſterium venerantes, omnibus tàm Sacerdotibus, quàm iis, qui in aliis ordinibus Eccleſiæ (quibus quaſi gradibus ad Sa-

Sacerdotium aſcenditur) conſtituti ſunt, debitam reverentiam exibeant. Et quia non omnes Sacerdotes pari ſunt poteſtate, ratione juriſdictionis tam fori interioris, quàm exterioris; Ideo moneantur populi, ut ſuis propriis Parochis, quibus cura ſalutis animarum ipſorum eſt commiſſa, non ſolùm reverentiam, ſed & obedientiam exhibeant, ipſorumq; monita libenter ſuſcipiant. Quod multò item magis locum habet in conſideratione Epiſcopalis dignitatis, cui ultra proprias functiones Pontificales, ratione plenariç poteſtatis jurisdictionis in utroq; foro; competit alios graviores caſus, prout regiminis ratio exigit, reſervare, aliaq; ordinare, & ſtatuere, ad quæ fideles omnes Diœceſani obligantur, & in quibus inferiores Sacerdotes; etiam curati ſeſe ingerere non poſſunt. Vnde monendi ſunt populi, ut Epiſcopi ſui Conſtitutiones, ordinationes. reſervationes, edicta, interdicta, & excommunicationes venerentur, ſoliciteque ad illum recurrant in iis, quæ ipſius auctoritati reſervata cognoverint.

*Parochis reverentia, & obedientia exhibẽda.*

*Conc. Trid. ſeß 14 c. 7. de caſ. reſ.*

*Epiſcop. ſuo popul. quã. debent venerationem & obedientiam.*

Quod item longè magis in his eſt obſervandum, quæ Summo Pontifici Romano noverint reſervata.

In ſumma docebunt in Dei Eccleſia (quæ eſt ut caſtrorum acies ordinata) divina inſtitutione differentibus functionibus, & poteſtatibus: ſub uno in terris Chriſti Vicario, omnia eſſe ordinatè diſpoſita, in opus miniſterii, ad conſummationem ſanctorum.

Præcipimus autem Parochis, ut quotieſcunque intelligent ordinationes eſſe habendas (quod per edictum illis innoteſcet) id populo, ubi aliqui fuerint ordinandi, annuncient, atq; hortentur, ut Deum orent, quò in tanti miniſterii partem ii tantùm aſſumantur, qui & vitæ exemplo, & doctrina ſalutari populo prælucere poſſint.

*Pro ordinãdis orandũ à populo.*

Edictum in quo ordinandorum nomina continebuntur, ita promalgabunt, ut de Sacramenti dignitate, & utilitate aliqua præmittãt, moneant etiam omnes, ut ſi quid habent ad-

*De ordinandis edictum promulgandum.*

*Indigni promoveri quibus denunciandi.* verſus aliquem ex ordinandis,ob quod tanquam indignus repelli poſſit, aut aliàs noverint aliquo impedimento irretitum,id ſecretò, omni odio, ac paſſione repoſitis, ipſi Parocho denuncient:quòd ſi cauſa ſubſit, cur Parocho id fortè aperire nolint,Vicario noſtro Generali, vel Decano Rurali ſignificent.

*Parochi tēpeſtivè denuncient indignos promoveri.* Parochi autem ipſi ſub divini judicii interminatione, ſi quid intellexerint, aut noverint de promovendis, quo indigni poſſint judicari,id tempeſtivè denuncient, omni perſonarū poſtpoſito reſpectu.

*Pueris,aliijſque ad clericatum aſpirantibus favendum.* Obſervent etiam ſuæ Parochiæ pueros, & alios, qui ad Clericalem ſtatum, &ordinem adſpirant;illosq; ex charitate ſalutaribus monitis dirigant, & quantum poſſunt juvent, ac parentes moneant,ut ſi filios ſuos cupiunt Clericali ſtatu adſcribi,eorum exactiorem tam in literarum,quàm morum diſciplina curam habeant.

## DE OBSERVANDIS in collatione ordinum. Cap. 21.

CVm diſciplina Eccleſiaſtica nulla re magis labefactetur, quàm cum indigni promoventur ad clericalem ſtatum, & doctor gentium moneat,manus nemini citò imponendas eſſe; Nos, ut ea adhibeatur diligentia in ordinum collatione, quam rei ipſius gravitas poſtulat,monemus omnes, & quoſcunque Diœceſis noſtræ Clericos in minoribus ordinibus conſtitutos, qui ad majores adſpirant, ut juxta Sacri Conc. Trid. determinationem ſeſſ. 23.cap 5. ſeſe per menſem ante ordinationem,Nobis,aut Vicario noſtro, necnon Archidiacono præſentent; quò Parocho, aut cui magis expedire videbitur, poſſit committi inquiſitio de natalibus, ætate, moribus, & vita; neque ullus præſentetur, aut admittatur ad ordinationem,qui litteras teſtimoniales,inquiſitionem, juxta noſtram, vel Vicarii noſtri commiſſionem *Qui ad maiores Ordines aſpirant per menſem ante ordinationem ſe præſentent.*

factam

factam continentes, non exibuerit, ad quod Archidiaconus pro muneris ſui ratione, diligenter advertat.

Parochi (ſi inquiſitione diligenter facta, nullus quicquam opponet) inquiſitionem ipſam obſignatam Nobis, vel Vicario fideliter mittant, vel ipſi Ordinandi deferant. *Inquiſitio diligenter facta Ordinario mittenda.*

Præſentatis autem omnibus, qui ordinari intendunt, præfigetur certus dies, quo ad examinationem faciendam tempeſtivè compareant.

Curet autem Archidiaconus, ut in ipſa examinatione, ea omnia diligenter obſerventur, quæ ſacrum Conc. Trid. ſtatuit ſeſſ. 23. cap. 11. 12. 13. & 14.

Et quia in Eccleſiæ miniſtrorum ordinatione, nihil aliud attendi debet, quàm ipſius Eccleſiæ utilitas, ante collationem ordinum magna eſt adhibenda cautio in examine, maximè eorum, qui ad Sacros ordines aſſumuntur; an videlicet illa intelligant, & ſciant quæ ad ordinem illum exercendum requiruntur. Et in primis an Breviarii, & Miſſalis ipſius rubricas reformatas norint, & quæ ulterius hac de re cæremoniale continet, & docet. *Ordinandi î ſacris magna cautione examinentur.*

## DE SACRAMENTO Matrimonii. Cap. 22.

Parochi opportunis occaſionibus de Sacramento Matrimonii ea docebunt juxta ſacri Conc. Trid. Decreta, quæ fideles ſcire tenentur. Vtque Sacramentum hoc in noſtra hac Diœceſi in debita veneratione habeatur, præcipimus Parochis, ut quoties neceſſarium duxerint, Decretum ipſius Conc. de Matrim. ſeſſ. 24. c. 1. publicent, & explicent: Tum verò exeunt interdicti tempore, videlicet, Dominica præcedenti Epiphaniam Domini, & ſecundo, vel tertio feſto Paſchatis populum diligenter moneant, ut accuratè obſervent, quæ de Sacr. Matrimonii ſunt conſtituta, & uti ſancti hujus Sacr. dignitas poſtulat, cum omni honeſtate, *Seſſ. 24. c. 1 de ref. matr.* *Decretum publican.*

in timore Domini m̃rimonia ritè, & legitimè contrahant.

*Clandeſtinis promiſſionibus abſtinẽdum.*

Non ſolùm à clandeſtinis, & invalidis matrimoniis, ſed etiam à clancularìis, & furtivis promiſſionibus, & pactis de contrahendo abſtineant.

Quòd ſi Parochi, fama, aut aliis argumentis cognoverint, iſtis viis rudem, & ſimplicem juventutem circumveniri, parentes, & eos, in quorum poteſtate ſunt, admoneant, ut cautè periclitantium pudori, & famæ conſulant.

*Qui poſt occultas promiſſiões matrimoniũ ſtabilire detrectaverint, denũciandi.*

Vt verò hac in re audacia quorundam debitè coerceatur: ſi qui occultis, & doloſis promiſſionibus ſuæ cupiditati viam aperire tentaverint, & à Parochis moniti, eas promiſſiones legitimis ſolemnitatibus matrimonio ritècontracto ſtabilire detrectaverint; hos Nobis, vel Vicario noſtro Parochi ipſi denuncient, ad hoc ut contra ipſos tanquam pudoris, & honeſtatis circumventores, & qui impiè, & impudenter venerando matrimonii nomine abutuntur (reſervata parti actione) juxta Canonum diſpoſitionem, pœnis tam pecuniariis, quàm etiam carceris, & banni, prout rei, & perſonarum, qualitas poſtulabit, procedatur.

*De conſenſu conſtet ante denunciat. Cõtrahentes diverſarum parochiarũ.*

Denunciationes ſuper contrahendo matrimonio non fiant, niſi prius certus ſit Parochus de conſenſu contrahentium.

Si contrahentes fuerint diverſarum Parochiarum, non deveniatur ad ipſum Matrimonium, niſi Parochus, ubi ſolemnizandum erit, certior ſit factus ab alio Parocho de publicationibus etiam ab illo jam factis, & quòd nullum ſciatur legitimum impedimentum.

*Interdicti tempus ſervandum.*

Interdicti tempore nullus Parochus matrimonium abſq; ſpeciali noſtra, vel Vicarii noſtri licentia, ſub pœna viginti, florenorum, ad opus pium arbitrio noſtro applicandorum, audeat ſolemnizare.

*Impedimẽtum ſcientes denuncient.*

Qui aliquod ſciverint impedimentum legitimum, illud Parocho tempeſtivè denuncient, ſub pœna mortalis peccati, aliisq; pro perſonarum, & facti qualitate, noſtro arbitrio, vel Vicarii noſtri infligendis.

Impe-

Impedimentum inter ſe extare ſcientes, nullo modo ſub ſpe diſpenſationis obtinendæ, contrahant, ſed priùs diſpenſationem obtinere curent.

*Nō contrahendum ſpe diſpenſationis obtinēdæ.*

Si ſcientes impedimentum, de facto contraxerint, pœnam decem; quòd ſi etiam auſi fuerint conſummare, viginti florenorum ad opus pium noſtro arbitrio applicandam incurrant, ultra alias pœnas, & pœnitentias juxta ſcandali, & perſonarum qualitatem infligendas.

SiSacerdos ſciens impedimentum, ſolemnizare matrimonium auſus fuerit, præter pœnam ſuſpenſionis à ſacris Canonibus conſtitutam, mulctam quinquaginta florenorum, noſtro arbitrio applicandam, incurrat.

*Contrahentium pena, ſi ſciunt impedimentū.*

In ſponſalibus Parochi moneant contrahentes, mulieres præſertim, per ipſa verba de futuro non contrahi tunc matrimonium; ſed obligari tantùm ipſas partes ad contrahendum (ſi nullum extiterit impedimentum) forma Concilii Triden. ſervata; ubi Parochi, quando interveniunt ſponſaliorum contractui, diligenter caveant, ne verba adhibeant, quibus per conſenſum contrahentium, ipſum matrimoniū contrahitur,

*Sponſalia obligant ad matrimoniū ceſſante impedimento.*

Seriò etiam, ac frequenter Parochi inculcabunt, ut qui tantùm per verba de futuro contraxerunt, quatenus ſalutem animę ſuæ charam habeant, in eadem domo minimè cohabitent, atque à copula carnali, donec matrimonium legitimè contractum ſit, omninò abſtineant.

*Sponſi non cohabitent, ante matrimonium.*

Parochi ſedulam operam præſtent, ut ſponſi antequā contrahant, vel ſaltem triduo ante matrimonii conſumationem, confiteantur, & ſanctam Communionem accipiant, juxta piam Conc. Trid. exhortationem.

*Cōmunicā. ante matrimonium.*

Prohibeatur per Parochos damnabilis ille abuſus, quo vulgus alicubi in nuptiis ad ſecunda vota tranſeuntium, vel aliàs polygamorum, tintinnabulis, & id genus aliis rebus importunè perſtrepere conſvevit ad domum ipſorum ſponſorum, contra ſancti hujus Sacramenti dignitatem. Et in

*Matrimonij reverentia ſervanda.*

ſumma ea omnia Parochi prohibeant, quæ in contrahendis matrimoniis Sacramenti reverentiam videntur imminuere, nihilq; in Eccleſiis præſertim, ſieri permittant, quod indecentiam, aut petulantiam præſeferat.

Parochus in celebrando matrimonio, ſi tempus id patitur, brevi ſermone aliquo, ipſius Sacramenti ſanctitatem commendet: de bonis matrimonii, fide, prole, & Sacramento, juxta id quod abundè Cathechiſmus Romanus ſuppeditabit, ſermone inſtituto.

*Matrimoniales cauſæ Ordinario reſervatæ.*

Præterea prædeceſſorum noſtrorum conſtitutionibus inhærẽtes, etiam ſub excommunicationis pœna interdicimus omnibus tam Clericis, quàm laicis per Diœceſim noſtram ubilibet conſtitutis, ne ullus eorum de cauſis matrimonialibus cognoſcere, concordare, ſeu diffinire judicialiter præſumat. abſque noſtra licentia, & mandato ſpeciali.

*Coniugati cohabitent, ceſſante impedimento.*

Contra conjugatos utriſque ſexus, qui nulla legitima cauſa, ſed propria temeritate, ſibi mutuò cohabitare nolunt (etiã ſi à fornicatione aliàs abſtineant) niſi infra terminum a Parocho præſcriptum, ad cohabitationem redierint, arbitrariis pœnis procedi volumus. Quibus etiam obnoxios eſſe declaramus, qui eos fovere in domibus ſuis auſi fuerint.

*Maritalis caſtitas.*

Parochi denique ſæpius per oportunitatem moneant fideles in ſtatu matrimoniali degentes, ut maritali caſtitate, & charitate honorabile ſuum conjugium comprobent. In primis verò diligenter eos monebunt, ut filios in timore Domini ita inſtituant, ut videantur intelligere, illos ad matrimonii ſui bonum tum demum pertinere, ſi per rectam educationem Chriſtianæ pietati, & religioni inſerantur.

*Filij in Dei timore educandi.*

## DE FESTIS ET DIEBVS Iejuniorum. Cap. 23.

PRæter feſta quæ ex præcepto Eccleſiæ celebranda ſunt, & in quorum vigiliis (legitimo impedimento ceſſante) jeju-

jejunandum eſt, à cibis ex uſu Eccleſiæ Catholicæ vetitis, abſtinendo, ac ſemel tantùm in die, circa meridiem, cibum ſumendo, in Epiſcopatu noſtro Tridenti, ſolemniter ab omnibus celebrandum eſt feſtum Divi Vigilii Epiſcopi, & Martyris glorioſi, patroni ipſius Civitatis, ac totius Diœceſis.

Qui verò in diebus prefatis ex præcepto Eccleſię celebrandis necnon ſancti Vigilii, opus ſervile, ſine urgenti neceſſitate feciſſe, deprehenſus fuerit, præter Divinam ultionem, & amiſſionem animalium, ac inſtrumentorum, quibus uſus fuerit, Eccleſiæ locorum, vel alias arbitrio noſtro, vel Vicarii noſtri applicandorum, pœnam etiam duorum florenorum incurrat; quorum quarta cedat denuncianti, reliquæ verò tres partes fabricæ Eccleſiæ loci applicentur. Ad quã mulctam exigendam teneantur Syndici, ſeu Maſſarii Eccleſiarum, quibus fuerit applicata: habeantque exactores pro ſuo labore, quaternos cruciferos; & ſummariè, ac de plano, ſine figura judicii in his procedatur.

*Bulla pij V. quę incipit, Cum primũ Apoſtolat.*

*Feſtorum violatores puniendi.*

Si qua verò inciderit urgens neceſſitas operis alicujus faciendi, Parochi, aliiq; Curati, habita ratione loci, rei, temporis, & perſonarum, poterunt (dummodo id cautè, & citra ſcandalum fiat) diſpenſare; in quo ipſorum conſcientiam oneramus.

Feſta autem Sanctorum Siſinii, Martirii, & Alexandri Martyrum: Item Sanctæ Maxentiæ matris Sancti Vigilii, Sancti Romedii confeſſoris, & Sancti Simonis Innocentis martyris, ejuſdem Trident. Civitatis, & Diœceſis Advocatorum, in Eccleſiarum dedicationibus, & juxta piam cujuſque loci conſvetudinem, obſervanda ſunt; quemadmodum feſta Sancti Martini, Catharinæ, Antonii, Mariæ Magdalenæ, Rochi, Agnetis, Gregorii, & ſimilia.

# DE ECCLESIA CATHEDRALI.

## Cap. 24.

CVM venerabile Cathedralis Eccleſiæ Capitulum Nobis, uti Capiti, arctiſſimè ſit conjunctũ, meritòq; illius exemplo, & auctoritate fideles totius Diœceſis plurimùm moveantur: Nos Decanum, & Canonicos in Domino monemus, ut ea, qua decet eorum ordinem, gravitate, habitu, inceſſu, & converſatione ſe verè Eccleſiæ ſenatum exhibeant, curentq; non tantum aliis prælucere obſervatione eorum, quibus Eccleſiaſticæ dignitatis ſtatus continetur, augetur, & conſervatur, ſed in illud etiam incumbant, ut inferior Clerus Cathedralis Eccleſiæ, ſtatuta, & ordinata circa vitam, mores, honeſtam cohabitationem, habitum, & tonſuram, diligenter obſervet.

Nos quoque, quotieſcunque id juſtitiæ ratio poſtulabit, officio noſtro ſecundùm ſacrorum Canonum, & Conc. Triden. diſpoſitionem, pro debita ſalubriter ordinatorum obſervantia, & executione non deerimus.

*Reſidentia iuxta Conc. preſcriptũ.*

Et quia aſſidua Canonicorum reſidentia cum ipſius Eccleſiæ dignitate, & decore maximè eſt conjuncta, ac Divinus cultus ab ea plurimùm pendet: Ideo eam juxta antiquam hujus Eccleſiæ conſvetudinem, & Conc. Trid. præſcriptum diligenter præſtabunt.

Sciant autem, Concilii diſpoſitione Canonicos teneri ita ſuã præſentiam Eccleſię debitis temporibus exhibere, ut quæ hebdomadatim, ex præbendarum onere incunbunt, Miſſas, & Officia accurratè præſtent. Ac proinde in ordinariis ſextarum feriarum capitulis, ſæpius diligenter providebunt, ut propriis functionibus, & officiis omnes tam de gremio capituli, quàm Capellani, & inferiores Sacerdotes Cathedralis Eccleſiæ ſatisfaciant.

Videant, ut in Choro diligenter ſecundùm Romanæ Eccleſiæ ritum, Divinæ laudes perſolvantur: tum ut cæremoniæ con-

cinnè,

cinnè,& cum dignitate obſerventur; & ſi quid temporum injuria irrepſit,quod Rom.Eccleſiæ conſvetudini non correſpondeat,id emendetur.

Circa animarum curam, quæ Cathedrali Eccleſiæ conjuncta eſt, aut Eccleſiis ipſi Capitulo incorporatis competit, ea obſerventur,quæ in viſitationibus, juxta ſacri Conc.Trid. diſpoſitionem diffusè præſcripta fuerunt: quæque in proxima futura præſcribentur; idemq; de Manſionariorum, & Capellanorum officio dicimus.

*Diſtributiones augendæ*

Et quia diſtributiones diebus feriatis valde ſunt exiles, ordinamus, ut congruæ portionis acceſſione augeantur.

In collationibus, & proviſionibus Canonicatuũ, ea ſerventur,quæ ſacrum Conc.Trid.ſtatuit,tam circa ætatem,quàm alias qualitates. Serventur etiam diligenter particularia Summorum Pontificum indulta, huic Eccleſiæ circa Canonicorum aſſumptionem conceſſa, in quo ſi ſeſe aliquæ difficultates objicient, ad S. D. N. erit pro congruo remedio,aut diſpenſatione recurrendum.

*Theologus præbẽdatus*

Et quia gravitas Collegii Canonicorum maximè pendet ex dignitate perſonarum, quæ aſſummuntur; decori illius maximè videtur convenire,ut in in Capitulo adſit Theologus præbendatus. Ideo juxtà Decretum Conc.Trid.ſeſſ. 5. c. 1. de refor ordinamus, ut primò vacatura præbenda promoto in ſacra Theologia in univerſali Academia conferatur. Qui tamen ſecundùm indultorum præſcriptum, illius capax ſit,& cui lectionis Theologicæ munus incumbat.

*Pænitentiarius prębẽdatus.*

Idem etiam de ſecundo loco vacatura præbenda, ſtatuimus de Pęnitentiario,qui qualitates habeat à ſacro Conc.requiſitas, quiquè præbendæ ſecundùm indulta ſit capax.

*Cap. ſtatuta reform.*

Demum quando Statuta Ven.Capituli ſunt maxima ex parte conflata ex Synodalibus Anteceſſorum noſtrorum Conſtitutionibus, Capitulum curabit, ut illa juxta ſacri Conc. Triden. diſpoſitionem,& pręſentes Conſtitutiones, reformentur, & ãplientur, prout pręſentiũ tẽporũ ratio poſtulat

Lau-

Laudabilem, longævam, & præſcriptam conſvetudinem circa primarios fructus à noſtris Prædeceſſoribus Epiſcopis Triden. confirmatam: Nos etiam confirmamus: videlicet, ut omnes Beneficiati cum cura, vel ſine cura, exempti, vel non exempti, primarios fructus beneficiorum, & Eccleſiarum quarumcumque per mortem, aut permutationem, vel qualitercunque vacantium, ac toties quoties ea, vel eas vacare contigerit, in colatione, ſeu inveſtitura eorundem beneficiorum teneantur, ac debeant, & quilibet eorum teneatur, & debeat Maſſariis Eccleſiæ noſtræ Cathedralis Sancti Vigilii, ſecundum eorum taxam dare, & reſpondere, ſeu ſuper hoc cum eis concordare. Quam conſvetudinem à noſtris Anteceſſoribus acceptam, volumus, inviolabiliter obſervari; omnibus exceptionibus juris, & facti remotis.

*Bern. c. 23.*

*Primarij fructus.*

*Bern. c. 23.*

Et cum Eccleſia hæc noſtræ Cathedralis ita nobis ſit cordi, ut eam quàm ornatiſſimam, & omnibus neceſſariis inſtructiſſimam eſſe deſideremus; hortamur, & requirimus Vener. Decanum, & Canonicos ejuſdem; ut officia omnia, præſertim Maſſariatus, perſonis integritate, fide, & induſtria præſtantibus committant, quæ non per ſubſtitutos, ſed per ſe ipſos ea adminiſtrent.

## DE VISITATIONE ECCLESIÆ S. Vigilii. Cap. 25.

ANteceſſorum noſtrorum Decretum ſequentes, mandamus omnibus, & ſingulis Plebanis, & Rectoribus Eccleſiarum, qui annuatim Eccleſiam matricem Sancti Vigilii, cum Plebibus ſibi commiſſis, viſitare conſveverunt, ut ſingulis annis, in feſtivitatibus Sancti Vigilii, ſeu in Anniverſario Dedicationis, vel in feſtivitatibus Paſchatis Reſurrectionis, aut Pentecoſtes, juxtà morem, & conſvetudinem eorundem, unà cum laicis utriuſque ſexus ad hoc

aptis

aptis, uno nimirum pro quilibet domo, ſe Tridentum conſerant, ac præſentent ad tumulum, & Altare Sancti Vigilii, in ſignum ſubiectionis, & reverentiæ, ſub pœna decem librarum fabricę Sancti Vigilii applicanda, quam quemlibet presbyterorum, ac etiam laicorum huic noſtro decreto cõtravenientium incurrere volumus. Alii verò Plebani de mandato noſtro, parochianos ſuos adhortentur, ut & ipſi Eccleſiam S. Vigilii ſupradictis diebus viſitent.

## DE VITA, ET HONESTATE Clericorum. Cap. 26.

CVM ad Divini cultus obſervationem, & augmentum in primis pertineat, adſcriptos Eccleſiaſtico ordini cæteris vita, & moribus prælucere, ac quodammodo præire: Nos Cardinalis Bernardi Conſtitutionem renovantes, omnibus Clericis per Diœceſim noſtram ubilibet conſtitutis, cujuſcunque gradus, vel conditionis exiſtant, præcipimus, & mandamus, ut qua decet in ſortem domini vocatos, gravitate, modeſtia, & inculpabili converſatione (quemadmodum etiam ſacrum Triden. Concilium piè requirit) irreprehenſibiles ſeſe exhibeant. *Cap. 10.* *Seſſ. 22. c. 1 de refor. & ſeſ. 24. c. 12*

Abſtineant à cõmeſſationibus, compotationibus, & intempeſtivis conviviis, choreis, luſibus, ſpectaculis, tabernis, illicitis venationibus, uſura. mercatura, & aliis negotiis, & exercitiis ſecularibus, quibus ſanctitas Clericali ſtatui debita contaminatur. Armorum etiam deportatione, rixis, & aliis, de quibus ſacri Canones, & præſertim Trid. Conciliũ ſalubriter, & copioſè ſtatuit. *Clerici à quibus abſtinere debenat.*

Et quia per decentiam exterioris habitus, compoſiti animi affectus potiſſimum declaratur; ordinamus, ut omnes Clerici coronam gerant decentem, & conſpicuam juxta cujuſq; ordinis gradum. Barbas verò tales gerant, ne videantur partium quarundam raſura, militares homines imitari; vel *Corona geſtenda.* *Barba q̄lis.*

planè

planè abraſas, vel circumtonſas gerant, præcipuè verò pilorum præciſione ſuperiora labra apareant.

*Veſtes.* A ſericis, præſertim prætioſioribus abſtineant: In Eccleſiis, & in publico veſtes gerant talares nigras, juxta hujus Epiſcopatus conſvetudinem: Subtaneas habeant ad talos uſque demiſſas, vel quæ genua ad minus contegant; vel ſaltem ſuperiores veſtes talares portent clauſas, ita ne inhoneſtè pectus, ventrem, & femora oſtendant.

*Biretta.* In Villis, & Pagis tamen pro neceſſitate aliquando brevioríb. uti poterunt. Nunquam incedant thorace, & caligis ſolis induti. Birreta habeant quadra, nec in Eccleſia, aut coram *Collaria.* Epiſcopo utantur galero : Camiſiarum collaria deferant non criſpata, neque admodum elaborata, quę laſciviam præſeferant.

Parochi, Cooperatores, & beneficiati, quum ex obligatione fundationis Divino officio interſunt, Cottis ſint induti. Quòd ſi qui huic Conſtitutioni non paruerint; contra eos procedatur juxta ſacri Conc. Trid. Decretum ſeſſ. 14. cap. 6. cujus circa hæc, tenor talis eſt.

Propterea omnes Eccleſiaſticæ perſonæ quantunque exemptę, quę aut in Sacris fuerint, aut dignitates, perſonatus, officia, aut beneficia qualiacunq; Eccleſiaſtica obtinuerint, ſi poſtquam ab Epiſcopo ſuo etiam per edictum publicū moniti fuerint, honeſtum habitum Clericalem illorum ordini, & dignitati congruentem, & juxta ipſius Epiſcopi ordinationem, & mandatum, non detulerint, per ſuſpenſionem ab ordinib. ac officio, & beneficio, ac fructibus, redditibus, & provenientibus ipſorum beneficiorū: necnon (ſi ſemel correpti denuo in hoc deliquerint) etiam per privationem officiorum, & beneficiorum hujuſmodi coercere poſſint, & debeant; Conſtitutionem Clementis V. in Conc. Viennenſi editam, quæ incipit: Quoniam, innovando, & ampliando.

*Clerici in minoribus ſæpe cōmunicent.* In minorib. ordinibus conſtituti, ſciant maximè decere, ut ad minus omnibus ſolennitatibus, & feſtis præcipuis Beatæ Vir-

Virginis, Sacram sũmant Euchariſtiam, quod ſi non faciant tales ad altiores ordines non facilè admittantur.

## DE CLERICORVM, ET MVLIERVM ſuſpecta, & prohibita cohabitatione. Cap. 27.

CVM deceat Clericos non ſolùm malo, & culpa, ſed etiam omni culpæ ſuſpicione vacare, prohibemus eiſdem omnem ſuſpectam mulierum cohabitationem, ſtatuentes, ut nullus Sacerdos, ſive Clericus de cætero mulieres apud ſe habere, & tenere audeat, præter matrem, ſororem, amitam, aut aviam; vel extraneam, quæ excedat annum Quadrageſimum quintum, eamq; bonæ famæ, ſub pœna florenorum decem, quotieſcunque contrafactum fuerit, in pios uſus applicandorum. *Mulieres quales Clericis admittuntur.*

Declarantes etiam illarum cohabitationem eſſe pro ſuſpecta habendam, quæ aliàs in eorundem, aut aliorum concubinatu fuerint, licèt ob ſenium de præſenti videantur carere ſuſpicione; Item & illas ſuſpectas dicimus, quæ de lenocinio diffamatæ exiſtant. *Mulieres ſuſpectę.*

Quantopere verò deteſtandus ſit concubinatus in his, qui Divinis officiis, ac miniſteriis ſunt adſcripti, nullis nos verbis aptiùs explicare poſſe arbitramur, quàm quibus utitur ſacrum Conc. Trid. Cujus hac de re decretum ideo de verbo ad verbum his noſtris Conſtitutionibus inſeri voluimus, ut omnes intelligant, nos juxtà illius præſcriptum, contra quoſcunque, nullo perſonarum habito reſpectu, ut officii noſtri ratio exigit, proceſſuros: Cujus tenor eſt.

Quàm turpe, ac Clericorum nomine, qui ſe Divino cultui addixerunt, ſit indignum, in impudicitiæ ſordibus, & concubinatu verſari, ſatis res ipſa communi fidelium omnium offenſione, ſummoq; Clericalis militiæ decore teſtatur. Vt igitur ad eam, quã decet, continentiam, ac vitę integritatem, *Conc. Trid. ſeſſ. 25. cap. 14. de ref.*

tem, miniſtri Eccleſiæ revocentur; populuſq; hinc eos magis diſcat revereri, quò illos vita honeſtiores cognoverit; prohibet ſanctaSynodus quibuſcunqueClericis,ne concubinas,aut alias mulieres,de quibus poſſit haberi ſuſpicio,in domo,vel extra detinere,aut cum iis ullam conſvetudinem habere audeant, alioquin pœnis à Sacris Canonibus, vel ſtatutis Eccleſiaſticis impoſitis, puniantur. Quòd ſi à ſuperioribus moniti,ab iis ſe non abſtinuerint, tertia parte fructuum, obventionum, ac proventuum Beneficiorum ſuorū quorumcunq;& penſionum ipſo facto ſint privati, quæ fabricæ Eccleſiæ,aut alteri pio loco, arbitrio Epiſcopi applicentur.Sin verò in delicto eodem cum eadem, vel alia fœmina perſeverantes, ſecundę monitioni adhuc non parverint;non tantùm fructus omnes,ac proventus ſuorū beneficiorum,& penſiones eo ipſo amittāt;qui prędictis locis applicentur; ſed etiā à Beneficiorum ipſorū adminiſtratione, ( quo ad ordinarius, etiam uti Sedis Apoſtolicę delegatus arbitrabitur ) ſuſpendantur. Et ſi ita ſuſpenſi nihilominus eas non expellant,aut cum iis etiam verſentur;tunc Beneficiis,portionibus,ac officis,& penſionibus quibuſcunq; Eccleſiaſticis perpetuò priventur,atque inhabiles, ac indigni quibuſcunq;honoribus, dignitatibus, beneficiis,ac officiis in poſterum reddantur; donec poſt manifeſtam vitæ emendationem,ab eorum ſuperioribus,cū iis ex cauſa viſum fuerit diſpenſandum. Sed ſi, poſtquam eas ſemel dimiſerint, intermiſſum conſortium repetere,aut alias hujuſmodi ſcandaloſas mulieres ſibi adjungere auſi fuerint, pręter prædictas pœnas, excommunicationis gladio plectantur. Nec quævis appellatio,aut exceptio prædictam executionē impediat, aut ſuſpendat: Supradictorumque omnium cognitio non ad Archidiaconos, nec Decanos, aut alios inferiores,ſed ad Epiſcop.ipſos pertineat; qui ſine ſtrepitu,& figura Iudicii,ſed ſola facti veritate inſpecta,procedere poſſint. Clerici verò beneficia Eccleſiaſtica,aut penſiones non haben-

bentes, juxta delicti, & contumacię perſeverantiam, & qualitatem, ab ipſo Epiſcopo, carceris pœna, ſuſpenſione ab ordine, ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, aliisvè modis juxta ſacros Canones, puniantur.

## DE EBRIETATE CLERICIS vitanda. Cap. 28.

QVia etiam in Clericali ordine inveniuntur aliqui ita vino dediti, ut limites temperantiæ, & honeſtatis tranſgredientes, ipſos ſeculares alioquin erga religionem bene affectos, ſua temulentia ita offendant, ut debitum ordini Eccleſiaſtico reverentiæ affectum exuant: Nos huic malo occurrere volentes, Clericos cujuſcunq; ordinis ſeriò monemus, ut ab ejuſmodi vitio ſibi caveant: Statuentes, & ordinantes, quòd ſi quis Sacerdos, aut Clericus in ſacris conſtitutus, poſt debitam admonitionem (quę etiam auctoritate præſẽtis decreti facta cenſeatur) ab ebrietate, necnon tabernis, & diverſoriis (excepta cauſa neceſſitatis) aliiſq; intempeſtivis conviviis, & compotationibus non abſtinuerit, prima vice, qua in aliquo præmiſſorum deliquerit, ultra alias pœnas delicti, ſi quod ibi per eum cōmitti contigerit, pœna decem librarum mulctetur, fabricæ Eccleſiæ, cui inſervit, pro duabus tertiis, & alia tertia parte denũciatori ẽt ſecreto, applicãdam. Si ſecũdò deliquerit, mulcta duplicetur, ac jejunet ſemel in pane, & aqua, ſub reatu peccati mortalis. Si tertiò, mulcta, & jejunium triplicẽtur. Si verò ulterius in hoc vitio inſorduerit, tãquã incorrigibilis, graviori pœna, etiã privationis officii, vel Beneficii, noſtro vel Vicarii arbitrio puniatur. Verùm ſi Clericus ſacro ordine non initiatus, vel Beneficiũ non obtinens, in p̃miſſis, vel aliquo præmiſſorũ deliquerit; pœnas vel mulctas per Nos, vel Vicarium noſtrum arbitrandas, ſe noverit incurſurum. Quòd ſi his modis correpti tales ſeſe non correxerint, vel ob ſolũ

*Clerici ab ebrietate caveant, & tabernis.*

hoc ebrietatis crimen, rejiciantur, quotiſcunqu; ſeſe examinandos, vel ſuſcipiendorum ordinum, vel concurſus ad beneficium obtinendum occaſione, præſentaverint.

Volentes inſuper, & ſeriò mandantes, quòd in quolibet caſuũ præmiſſorum, tam ex mero officio, quàm alio quocumque modo, Vicario noſtro beneviſo, contra tranſgreſſores ſummariè, & de plano procedatur.

## DE HORIS CANONICIS dicendis. Cap. 29.

ANteceſſorum noſtrorum veſtigiis inhęrentes, ſtatuimus, & ordinamus, ut Rectores tam collegiatarum, quàm parochialium Eccleſiarum, procurent in Eccleſiis ſuis haberi libros horarum, ſecundum uſum Eccleſiæ Romanæ, juxta cujus ſtylum officium rite peragi poſſit; Idq; integrè, diſtinctè, intelligibiliter, atq; attentè, tanquàm cum Deo colloquentes, perſolvant.

Qui verò horas Canonicas, aut domi, aut foris, ſeu in itinere abſque legitimo impedimento omiſerint, ultra peccatum, quod incurrunt, pœnis Conſtitutionis Pii V quam hic ſubjungendam duximus, ſubjaceant; quæ ſic habet.

Ex proximo Lateranenſi Concilio pia, & ſalubris Sanctio emanavit, ut quicunque habens Beneficium Eccleſiaſticũ cum Cura, vel ſine Cura, ſi poſt ſex menſes, quàm illud obtinverit, Divinum officium, legitimo ceſſante impedimento, nõ dixerit, Beneficiorum ſuorum fructus pro rata omiſſionis, & temporis, ſuos non faciat; ſed eos, tanquàm injuſtè perceptos, in fabricas ipſorum Beneficiorum, vel pauperum eleemoſynas erogare teneatur. Veruntamen ne multorum animi ſuſpenſi teneantur, cujuſmodi ratæ prædictæ ratio ſit habenda, Nos huic rei evidentiùs, atque expræſſiùs providere volentes, Statuimus, ut qui horas omnes Canonicas uno, vel pluribus diebus intermiſerit, omnes Beneficii, ſeu

Beneficiorũ ſuorum fructus,qui illi,vel illis diebus reſponderent, ſi quotidie dividerentur. Qui verò matutinum tantùm dimidiam; qui cæteras omnes horas, aliam dimidiam; qui harum ſingulas, ſextam partem fructuum ejuſdem diei amittat.

Item ſi aliquis Choro addictus, omnibus horis Canonicis, cum aliis præſens adſit, non tamen recitans; fructusq; & diſtributiones ſola præſentia,juxta ſtatuta,conſvetudinem fundationem, vel fortè aliter aſſignatas, ſibi lucrifeciſſe prætendat: is etiam præter fructuum, & diſtributionum amiſſionem (ſicut ille, qui primis ſex menſibus officium non dixerit) niſi legitimum impedimentum ipſum excuſaverit; grave peccatum ſe intelligat admiſiſſe.

Declarantes præſtimonia,præſtimoniales portiones, ac qualiacunque alia beneficia, etiam nullum omninò ſervitium habentia obtinentes,cum prædictis pariter contineri.

At quicunque penſionem, fructus, aut alias res Eccleſiaſticas,ut Clericus percipit,eum modo prædicto ad dicendum Officium parvum Beatę Mariæ Virginis, decernimus obligatum, & penſionum, fructuum, rerumque ipſarum amiſſioni obnoxium.

## DE SEMINARIO.
### Cap. 30.

SEminarium ex ſententia Sacri Concili Trident. ſtabilire cupientes, ultrà Prioratum Sanctæ Crucis extra muros Tridenti, & alia iam ante ad ipſum Seminarium deſtinata; eidem in præſenti Synodo,infraſcripta Beneficia, unà cum oneribus ſuis, in perpetuum applicamus, & incorporamus, ſine præjudicio tamen in præſentia poſſidentium. *Seſ.23.cap. de reform.*
Videlicet.

Hoſpitale, ſeu Prioratum Campelii, cum ſuis annexis.
Prioratum S. Thomæ, Ripæ, & Archi.

Hoſpi-

Hoſpitale, ſeu Prioratum ſancti Hilarii Roboreti.
Prioratum ſanctæ Margaritæ, vallis Lagarinæ.
Hoſpitale, ſeu Prioratum ſancti Martini Tridenti.
Prioratum ſancti Thomę in plebe Romeni vallis Annaniæ.
Prioratum, ſeu Capellam ſanctæ Brigidæ, in plebe Maleti vall. Solis.
Prioratum in Tonalo.
Beneficium ſancti Danielis, plebis Flavoni.
Beneficium ſancti Galli in plebe Revodi.
Beneficium ſancti Lazari, ibidem.
Beneficium, ſeu clericatum in Eccleſia parochiali Leudri.
Beneficium ſancti Iacobi de Airono, plebis Thioni.

Vt autem interea temporis (videlicet donec præfata Beneficia cum effectu Seminario per vacationem applicabuntur) illud ſuſtentari queat, Nos temporariè providentes, juxta ejuſdem Concilii præſcriptum, deputamus Ven. & Nob. Hieronymum à Roccabruna, Canonicum, & Archidiaconum, necnon Hon. Præsbyterum Pompeum Amoldum Beneficiatum Eccleſiæ ſancti Vigilii, Oeconomum noſtrum, qui pro parte Noſtra, penſatis neceſſariis ſumptibus, unà cum Ven. Nob. Sylvio de Prato, Canonico, & Vicario noſtro Generali, ac Hon. Præsbytero Bartholomæo Bonetto, deputatis pro parte Capituli, & Cleri Civitatis, definiant portionem ex Menſa Epiſcopali, & Capituli, ac fructibus quorumcunq; Beneficiorum noſtræ Diœceſis detrahendam, & ejdem Seminario (ut præmittitur) medio hujusmodi tempore prę̨ſtandam.

## DE COLLATIONE BENEFICIORVM, examine, & Examinatoribus. Cap. 31.

VT animarum cura, quæ meritò ars artium à ſacris Canonibus appellatur, à dignis, & idoneis perſonis adminiſtretur; in collationibus, ſeu proviſionibus quorumcunq; Bene-

Beneficiorum Curatorum,etiam juris patronatus, formam ſacri Conc. Triden. ſervari volumus, quæ præſcribitur in cap. 18. ſeſſ. 24. incip. expedit.

Examinatores autem, qui concurrentium ſufficientiam explorent, in futurum quoq; ſicut iam obſervatum fuit in Synodo, aut aliàs, prout expediet,etiam extra Synodum ſubrogari volumus, ſervatis omnibus in eorum electione, quæ in eodem Decreto Concilii ſtatuuntur.

Qui per examinatorum approbationem, Beneficium Eccleſiaſticum obtinuerit, ſi ad aliud poſtmodum, vel per concurſum,vel aliter promoveri volet,teneatur rurſum ſe examini ſubjicere, in quo tam ejus ſufficientia, quàm anteactæ vitæ ſeries exploretur, maximè ſi à Beneficjo ſimplici, ad Curatum adſpirabit.

Nullus illegitimè natus, in Eccleſia, in qua pater beneficium obtinet, Beneficium poſſideat; aut patri in illa ſerviat in altaris miniſterio; & diſtrictè ſervetur Conſtitutio Conc. Trid. ſeſſ. 25. cap. 15. de reform. incip. Vt paterna.

## VT OBTINENTES BENEFICIA incompatibilia, de diſpenſationibus doceant. Cap. 32.

Antecceſſorum noſtrorum decreto circa Beneficia incompatibilia inhærentes,& ſacri Conc.Trid. ordinationi ſatisfacere volentes;ſtatuimus, & ordinamus, ut quicunque Clerici in noſtra Dœceſi plura beneficia obtinent, infra quatuor menſes à publicatione præſentium inSynodo præſenti facta, immediatè ſequentes, de legitimis ſuis titulis, & compatibilitate; & ſi incompatibilia, de diſpenſationibus doceant: Alioquin ex ſententia Decreti Triden.Conc. juxta Conſtitutionem Gregorii X. in Conc. generali Lugdun. editam, quæ incipit Ordinarii; contra ipſos procedemus.

*Bern. c.16.*

*Seſſ.7.c. 5. de reform.*

# DE RESIDENTIA CVRATORVM, Cap. 33.

Bern. c. 18. QVicunque in hac Civitate, ac Diœceſi noſtra, Beneficia obtinent, quibus animarum cura incumbit; in jis perſonaliter reſideant: quod qui non præſtiterint, præter mortale peccatum, quod committunt, noverint Beneficii etiã fructus pro abſentiæ ratione, ſuos ſe non facere, nec tuta conſcientia, alia etiam declaratione non ſecuta, illos ſibi retinere poſſe; tum etiam contra abſentes procedendũ eſſe juxta Trid. Conc. determinationem ſeſſ. 23. c. 1. incip. Cum præcepto Divino, &c. ad finem. §. eadem omnino.

Proindè habentes curam Eccleſię Parochialis, vel alterius, ab ea non diſcedant abſque noſtra, vel Vicarii noſtri licentia in ſcriptis obtenta.

Si verò ex cauſa à nobis, vel Vicario noſtro cognita, & approbata, alicui licentia diſcedendi à Parochiali fuerit conceſſa (quæ bimeſtre tempus, niſi ex gravi cauſa, non excedat) ſubſtitutum idoneum à nobis, vel Vicario noſtro aprobandum cum debita, & certa mercedis aſſignatione relinquant; ut ab eodem Concilio ordinatum eſt; teneanturq; qui diſcedendi tales obtinuerunt licentias, de reditu ſuo Nos, vel Vicarium noſtrum quamprimùm certiorem facere.

Quòd ſi ob gravem cauſam contigerit diſceſſio repentina, infra ſex dies curent id nobis, vel Vicario noſtro ſignificari, nec ultra terminum à Nobis, vel Vicario noſtro, aut Decano foraneo præſcriptum abſint.

Sed ne tum quidem Eccleſiam ſuam abſq; Sacerdote ad Sacramenta adminiſtranda approbato, relinquant. Quòd ſi approbatus à Nobis, vel Vicario noſtro haberi non poterit ad breve illud tempus, quo abeſſe contigerit, aliquem ſubſtituant Decani Ruralis judicio, & conſenſu.

Illis tẽporibus, quibus ſacræ confeſſiones frequentantur, nullus facilè, niſi ſtatim eodem, vel ad ſummũ ſequenti die rediturus,

diturus, à propria parochia diſcedat.

Qui Beneficium curatum obtinuerit, ſi intra annũ à die commiſſæ ſibi adminiſtrationis, Sacerdotii ordinem non ſuſceperit, nulla etiam prævia monitione, Beneficio ſe privatum intelligat, juxta cap. licet Canon. & cap. cum in cunctis.

## CVRATIS VICARII, & Coadiutores quando deputandi. Cap. 34.

QVoniam vix provideri poteſt, ut non aliquando etiam ad Curata Beneficia imperiti, & parùm idonei irrepant, & indigni, quibus animarum cura relinquatur; Volumus, ut ſi qui tales in hac noſtra Diœceſi reperti fuerint, cõtra eos procedatur juxta Decretum Conc. Trid. ſeſſ 21. c. 6. de reform. tenoris infraſcripti. Videlicet. Quia illiterati, & imperiti parochialium Eccleſiarum Rectores ſacris minùs apti ſunt officiis, & alii propter eorum vitæ turpitudinem, potius deſtruunt, quàm ædificant; Epiſcopi etiam tanquam Apoſtolicæ Sedis delegati, eiſdem illiteratis, & imperitis, ſi aliàs honeſtæ vitæ ſint, Coadiutores, aut Vicarios pro tempore deputare, partemq; fructuum eiſdem pro ſufficiẽti victu aſſignare, vel aliter providere poſſint, quacunque appellatione & exceptione remota. Eos verò qui turpiter & ſcandaloſè vivunt, poſtquàm præmoniti fuerint, coerceant, & caſtigent, & ſi adhuc incorrigibiles in ſua nequitia perſeverent, eos beneficiis juxta Sacrorum Canonum Conſtitutiones, exceptione, & appellatione quacunque remota, privandi facultatem habeant. *Clerici incorrigibiles beneficiis privandi.*

Et quia contingit aliquibus in locis ob itinerum difficultatem, & longinquitatem, ut fidelis populus ægrè ad parochiales Eccleſias pro Baptiſmi, & aliorum Sacramentorum ſuſceptione, cultuſq; Divini frequentatione poſſit convenire; ob id in diverſis locis, ac villis extent controverſiæ, & lites inter ipſos p̃pl̃os, ac inter populos, & parochos; ordinam*, ut *Baptiſteria quibus meritò cõcedẽda.*

in proxima futura viſitatione, inſpectâ locorum diſtantiâ, itinerum difficultate, plebis frequentia, & aliis circunſtantiis, juxta ſacri Conc Triden. diſpoſitionem provideatur.

*Seſſ. 21. c. 4.*

## CVRATIS VBDITOS SVOS NE GRAVENT in exactione jurium parochialium. Cap. 35.

*Bern. c. 31.*

*Curati oẽm avaritiæ ſuſpicionẽ fugiant.*

VT Parochi, & omnes curam animarum exercentes, ſive in ea cooperantes non tantùm ab avaritia, ac labe ſimoniaca, ſed etiam ab omni hujuſmodi vitiorum deteſtabiliũ ſuſpicione, ſe planè illibatos ſervent; attentè Conc. Trid. Decretum de obſervan. & evitan. in celebrat. Miſſ. meditentur. Nos autem ut ſaluberrimam hanc doctrinam factis comprobent, volumus, ut ſuæ curæ commiſſos nullatenùs gravent in juribus parochialibus, de ſepulturis, & aliis ſpiritualibus quibuſcunque, ullo modo etiam paciſcendo. Sed, & in ſpecie confeſſarii caveant, ne pœnitentias pecuniarias confitentibus imponant, quæ in ſuam utilitatẽ quomodocunque vergere poſſint; ſed pro qualitate confitentium forſitan impoſitas, eorundem conſcientiæ, vel in eleemoſynas miſerabilium perſonarum, vel piorum locorum errogandas, penitus relinquant.

## DE FORO ECCLESIASTICO. Cap. 36.

CVpientes, ut in foro noſtro Eccleſiaſtico omnia quàm minimis ſumptibus, breviſſimoq; tempore peragantur; Statuimus, ut tam in cauſis ſummariis, quàm ordinariis probatoriæ dilationes per dies continuos utriq; parti communes conſtituantur, ſervando tamen ut dilationes le Ordinariis, dies viginti non excedant, & in ſummariis duodecim: niſi ex aliqua legitima, & rationabili cauſa judici videantur

lon-

longiores concedendæ: Idem etiam ſervetur in reprobatoriis dilationibus.

In cauſis ſummam florenorum decem non excedentibus, ſi Clericus Clericum, vel laicus Clericum conveniet, ſummariè, ſimpliciter, & de plano, ſine figura judicii, ſed ſola veritate rei inſpecta, dirimendi,, & decidendi facultatem etiam Decanis foraneis in ſuo Decanatu concedimus. *Decanis foraneis conceſſa facultas.*

Advocati, Procuratores, & Notarii publicè criminoſi ad forũ Epiſcopale non admittantur: admiſſi verò, ſi tales ſint, etiam ex officio rejiciantur; & admittendi jurent in manibus noſtris, vel Vicarii noſtri, omnia ſe ſervaturos, quæ in ipſa juramenti formula eiſdem proponenda, continebuntur. *Advocati, &c. in foro Eccleſiaſtico qualesnã admittendi.*

Iidem Notarii pro mercedibus ſuis non recedant à ſacri Cõc. Triden. præſcripto. Et cum ab officio decedunt, omnia inſtrumenta, aliasq; ſcripturas in dicto foro à ſe confectas, aut in acta relatas, Vicario noſtro conſignent, qui diligenter curet, & inſtet, ut mortuo aliquo eorum Noarorum, ſtatim omnes ſcripturæ ſub inventario conſignentur, ac penes ejus officium conſerventur, donec de loco idoneo Archivii provideatur. *Seſſ. 22. c. 1. de ref.*

## DE ECCLESIASTICA LIBERTATE, & immunitate. Cap. 37.

QVÆ ſacrum Conc. Trid ſtatuit de Eccleſiaſtica libertate, ea noſtris etiã conſtitutionibus de verbo ad verbum inſerenda eſſe duximus; ut omnes graviſſimum dicti ſacri Conc. judicium intelligentes, ſciant qualiter ſeſe circa perſonas Eccleſiaſticas, earumq; libertatem, ac immunitatem gerere debeant. *Seſſ. 25. c. 20.*

Cupiens ſancta Synodus Eccleſiaſticam diſciplinam in Chriſtiano populo non ſolùm reſtitui, ſed etiam perpetuò ſartam rectam à quibuſcunque impedimentis conſervari, præter ea, quæ de Eccleſiaſticis perſonis conſtituit, ſeculares

quoque Principes officii ſui admonendos eſſe cenſuit, confidens eos, ut Catholicos, quos Deus Sanctæ fidei, Eccleſiæq; protectores eſſe voluit, jus ſuum Eccleſiæ reſtitui non tantùm eſſe conceſſuros; ſed etiam ſubditos ſuos omnes ad debitam erga Clerum, Parochos, & ſuperiores ordines reverentiam revocaturos; nec permiſſuros, ut officiales, aut inferiores Magiſtratus, Eccleſiæ, & perſonarum Eccleſiaſticarum immunitatem Dei ordinatione, & Canonicis ſanctionibus conſtitutam, aliquo cupiditatis ſtudio, ſeu inconſideratione aliqua violent; ſed unà cum ipſis Principibus debitam ſacris Summorum Pontificum, & Conciliorum Conſtitutionibus obſervantiam præſtent.

Decernit itaque, & præcipit ſacros Canones, & Concilia generalia omnia, necnon alias Apoſtolicas ſãctiones in favorem Eccleſiaſticarum perſonarum, libertatis Eccleſiaſticæ, & contra ejus violatores editas, quæ omnia præſenti etiam Decreto innovat, exactè ab omnibus obſervari debere. Proptereaq; admonet Imperatorem, Reges, Reſpublicas, Principes, & omnes, & ſingulos cujuſcunque ſtatus, & dignitatis extiterint, ut quò largiùs bonis temporalibus, atq; in alios poteſtate ſunt ornati, eò ſanctiùs quæ Eccleſiaſtici juris ſunt, tanquàm Dei præcipua, ejuſq; patrocinio tecta, venerentur, nec ab ullis Baronibus, Domicellis, Rectoribus, aliiſvè Dominis temporalibus, ſeu Magiſtratibus, maximeq; Miniſtris ipſorum Principum lædi patiantur; ſed ſeverè in eos, qui illius libertatem, immunitatem, atq; Iuriſdictionem impediunt, animadvertant; quibus etiam ipſimet exemplo ad pietatem, religionem, Eccleſiarumq; protectionem exiſtant, imitantes anteriores optimos, religioſiſſimoſq; Principes, qui res Eccleſiæ ſua imprimis auctoritate, ac munificentia auxerunt, nedum ab aliorum injuria vindicarunt: Adeòq; ea in re quiſq; officium ſuum ſedulò præſtet, quò cultus Divinus devotè exerceri, & Prælati, cæteriq; Clerici in reſidentiis, & officiis ſuis quieti, & ſine impedi-

pedimentis, cum fructu, & ædificatione populi permanere valeant. Hactenus Conc. Trid.

Et quoniam non rarò cõtingit, aliquos ex diverſis cauſis, manum Iudicis ſęcularis pertimeſcentes, ad Eccleſias, ſacraq; loca confugere, ut Eccleſiaſtica immunitas juxta ſacros Canones illæſa, inviolataq; conſervetur, mandamus presbyteris, atque Clericis quaruncunq; Eccleſiarum, ut Nos, ſeu Vicarium noſtrum in Spiritualibus quamprimùm de confugientibus ad Eccleſias ſuas, certiores faciant, quò conſiderata perſonarum, locorum, factiq; qualitate, decerni poſſit, quod ſacrorum Canonum diſpoſitioni conſentaneũ eſt. Non poſſit autem ſęcularis poteſtas citrà Eccleſiaſticæ ſuperioritatis licentiam (quæ non detur, niſi in caſibus à jure permiſſis) fugientes ad Eccleſiam indè extrahere.

## NE CLERICI AD IVDICIA ſęcularia trahantur. Cap. 38

QVia ad Eccleſiaſticam libertatem imprimis pertinet, ut Clerici Eccleſiaſticis, tanquam propriis Iudicibus, ſubjiciantur: præſenti Decreto ſtatuimus, nè quis Clericum cujuſcunque gradus ſit, ad Tribunal Iudicis ſęcularis trahere præſumat, neque Iudex ſæcularis ſuæ cognitionis officium contra eum ullatenus interponat. Si ſecus factum fuerit, tam actor, quàm Iudex ſententiam excommunicationis ipſo facto incurrant, nunquam ad abſolutionis beneficium admittendi, donec parti læſæ de injuriis, & expenſis ſatisfecerint, vel caverint, æſtimatione, & declaratione coràm nobis, vel Iudicibus noſtris legitimè facienda: ſalvis Conſtitutionibus aliis ſuper hoc promulgatis.

*Clericũ trahens ad Iudicem ſęcularẽ & Iudex cognoſcẽs ſunt excõicati.*

## DE OFFICIO DECANORVM Ruralium. Cap. 39.

QVoniam Decani Rurales ideò potiſſimùm conſtituuntur, ut Clericorum honeſtatem, & confraternitatis ſuæ utili-

utilitatem procurent, mandata noſtra, & Vicarii noſtri debitè exequantur, & ſingula, quæ à Superioribus injunguntur, ad notitiam confratrum ſuorum deducant, ipſos ſeriò admonitos volumus, ut meminerint, ſe in partem ſolicitudinis noſtræ eſſe vocatos. Quare eis diſtrictè præcipimus, & in vim juramenti Nobis præſtiti, mandamus, ut, ſi quos exceſſus ſciverint, quibus Eccleſia ſcandalizetur, quales ſunt, ſi quid (quod Deus avertat) circa Sacramenta, & eorum adminiſtrationem ſacrilegè, vel irreverenter committatur, hęreſis ſuſpicio, furtum manifeſtum, homicidium, inceſtus, concubinatus, notoria fornicatio, manifeſta uſura, aut alia delicta tam Clericorum, quàm aliorum; præterea ſi Clericus excommunicatus ſe publicè Sacris adminiſtrandis ingereret, ſi uſuram qualitercunque exerceret; ſi poſt monitionem Decani, tabernis, aut aliis locis inhoneſtis, ludis publicis, comeſſationibus, potationibus, & aliis actibus illicitis palàm ſe immiſceret, ſi in habitu laicali, aut inhoneſto incederet, & id genus alia, diligenter ea omnia Nos, aut Vicarium noſtrum edoceant.

*Decani in ſolicitudinis partem vocati.*

## DE ECCLESIIS, QVÆ SVNT OBNOXIÆ juripatronatus, earumq; patronis, & bonis. Cap. 40.

IVriſpatronatus Eccleſia, ſeu beneficio aliquo vacante, volumus, patronum tam laicum, quàm Eccleſiaſticum infra tempora à jure præſcripta, præſentare; alioquin nos juxta ſacrorum Canonum diſpoſitionem, ea conferemus.

Prohibemus inſuper; ne ullus patronus ſub prætextu Iuriſpatronatus, vel quovis quæſito colore: quicquā occupet, ſeu uſurpet eorū, quæ ad ipſa beneficia ſpectant, ſed Sacerdotibus, ſeu Clericis ad beneficia admiſſis, atque inſtitutis, omnes proventus, res, & bona quæcunque, integra relinquat; neq; auſu ſacrilego ex eiſdem penſionem, partemvè ullam

*Patronus de bonis Eccleſiæ nihil ſibi vſurpet.*

*Patronus & Clericus paciſcētes, quā*

ullam reſervare, vel aliam quamcunque pactionem ſimilem apponere præſumat: alioquin tam recipiens, quàm dãs, uti ſimoniacæ labis rei eo ipſo excommunicationis pœnã incurriſſe cenſeantur. Et inſuper patronus omni ſuo, quod ſuperinde habebat, jure: inſtituendus verò, nominationis, ſeu præſentationis commodo, ipſo facto ſit privatus. *pænã incurrant.* *Conc. Trid. ſeſſ. 21. c. 11 de refor.*

Præterea patroni in iis, quæ ad Sacramẽtorum adminiſtrationem, & Divinum officium peragendum ſpectant, nullatenùs ſe præſumant ingerere; neque viſitationi ornamentorum Eccleſiæ, aut bonorum ſtabilium, ſeu proventuum fabricarum ſeſe immiſceant. Si quid tamen aliqua reformatione dignum adverterint; id Nobis, aut Vicario noſtro quamprimùm ſignificent. *Conc. Trid. ſeſſ. 24 de refor. c. 3. in fine.*

Inſuper, vacante quacunq; hujuſmodi Eccleſia: de noſtro, vel Vicarii noſtri, & nullatenùs patroni, ordine, Vicarius conſtituatur idoneus, & fidelis, qui regat Eccleſiam, neceſſitatibus provideat, fructusq; percipiat, & uſq; ad noſtram, vel Vicarii noſtri deliberationem, fideliter reſervet, rationem debitam de eis redditurus. *Eccleſia iuriſpatr. vacante quid agendum.*

Denique omninò prohibemus, ne quis, prætextu juriſpatronatus, præſentatos Clericos, & per nos admiſſos, ac inſtitutos audeat amovere, aut in exercitio officii ſui quoviſmodo impedire, vel alios auctoritate propria aſſumere, ſine noſtro cõſenſu, ſub pœna amiſſionis Iuriſpatronatus. Contra intruſum verò pœnis ſuſpenſionis à Divinis, & aliis arbitrio noſtro, vel Vicarii noſtri procedi volumus.

Propterea Viſitatoribus noſtris mandamus, ut, ſi quid fraudis, vel ſuſpicionis in Bullarum recognitione, aut aliàs repererint, opportunè juxta Sacrorum Canonum regulas providere non omittant. *Cap. Laicis de iurepatr. Bullæ iuriſpatr. in viſit recognoſcẽ.*

## DE ECCLESIIS SARTIS TECTIS Conſervandis, & reparandis, ſi quæ vetuſtate ſint collapſę. Cap. 41.

Bern. c.56. VT Eccleſiæ ſartę tectę cuſtodiantur, Conſtitutionem Cardinalis Bernardi ſequentes, tecta, ex quorum neglectu, & vitio, plerumque ruinarum initium contingit, per communitates ſub excommunicationis, & interdicti pœnis arbitrio noſtro infligendis, refici mandamus: ſi quæ verò de præſenti ſint in noſtro Epiſcopatu, aut futuris temporibus erunt Eccleſię ruinoſæ, & quæ reparatione indigeant, volumus in iis reſtaurandis, ſervari decretum Conc. Trid. ſeſſ. 21.cap.7.de reform.incip. Cùm illud quoq;

Ac proinde præcipimus,ut in proxima futura viſitatione hujuſcemodi Eccleſiarum ſtatus, ac neceſſitas diligenter conſideretur, eaq; omnia remedia adhibeantur, quę dicti Conc. Conſtitutiones proponuntur.

## DE NOVIS ECCLESIIS erigendis. Cap. 42.

PRęſenti Conſtitutione declaramus, ut juxta Canonicas ſanctiones nullus intra fines Parochię erigat, vel erigi patiatur novas Eccleſias, vel in campis Icones, vel capitellos, ſine licentia noſtra. Cùm populus novitate gaudeat, & matrices Eccleſię talibus occaſionibus fraudentur debitis honoribus,& ſæpenumerò hominum temeritate, falsa pro veris in his locis publicari compertum ſit. Volumus, & mandamus, ut Rectores Parochialium Eccleſiarum, ubi ſimilia attentantur, ad Nos, vel Vicarium noſtrum recurrant: ut cum cauſę cognitione, quod cum pietatis, & ſervitii Divini commodo conjunctum erit, decernere poſſimus.

DE

# DE OCCVPATORIBVS DECIMARVM, & aliorum bonorum Eccleſiaſticorum.

## Cap 43.

VSque adeò inexplebilis, & cęca temporalium rerum cupido quorundam hominum animos occupat, ut nec ab iis, quę Dei ſunt, ejuſq; pręcepto Eccleſiis, illarumq; miniſtris debentur, non ſecus ac ſi profana, & in nullius dominio eſſent, invadendis; ſe contineant.

Quod cùm alicubi in hac noſtra Diœceſi circa Decimas, & nonnulla alia bona Eccleſiarum evenire depręhendamus, Conſtitutionem bo. mem. Cardinalis Bernardi innovando, eos, qui occupant, aut detinent bona Eccleſię Sancti Vigili, aut aliarum Eccleſiarum Civitatis, vel Diœceſis noſtrę, niſi infra ſpatium trium menſium à publicatione pręſentis Decreti (quem terminum eis, & eorum cuilibet pro peremptorio, ac monitione Canonica aſſignamus) ea reſtituerint, in his ſcriptis excommunicamus, decreto ſacri Conc. Trident. (cujus normam in exequendo ſequi volumus) inhęrentes: quod propterea hic de verbo ad verbum inſerendum duximus. Videlicet. *Bern. c. 27.*

Si quem Clericorum, vel laicorum quacunq; is dignitate, etiā Imperiali, aut Regali pręfulgeat, in tantum malorum omnium radix, cupiditas occupaverit, ut alicujus Eccleſię, ſeu cujuſvis ſecularis, vel regularis beneficii, Montium pietatis, aliorumq; piorum locorum juriſdictiones, bona, cenſus, ac jura etiam feudalia, & emphyteotica, fructus, emolumenta, ſeu quaſcunque obventiones, quę in miniſtrorum, & pauperum neceſſitates converti debent, per ſe, vel alios, vi, vel timore incuſſo, ſeu etiam per ſuppoſitas perſonas clericorum, aut laicorum, ſeu quacunque arte, aut quocunque quæſito colore, in proprios uſus convertere, illoſq; uſurpare pręſumpſerit, ſeu impedire, ne ab iis, ad quos jure pertinent percipiantur, is anathemati tamdiu ſubjaceat, quamdiu *Seſſ. 22. c. 11. de ref.* *Piorum locorum bona quæcumq; uſurpantes anathemati ſubiacent.*

diu Iuriſdictiones, bona, res, jura, fructus, & redditus, quos occupaverit, vel qui ad eum quomodocunque, etiã ex donatione ſuppoſitæ perſonæ pervenerint, Eccleſiæ, ejuſque adminiſtratori, ſive Beneficiato integrè reſtituerit, ac deĩde à Romano Pontifice abſolutionem obtinuerit. Quòd ſi ejuſdem Eccleſię patronus fuerit, etiam Iure patronatus, ultra prædictas pœnas, eo ipſo privatus exiſtat. Clericus verò qui nefandæ fraudis, & uſurpationis hujuſmodi fabricator, ſeu conſentiens fuerit, eiſdem pœnis ſubjaceat, necnon quibuſcunque beneficiis privatus ſit, & ad quæcunque alia beneficia inhabilis efficiatur, & à ſuorum ordinum executione etiam poſt integram ſatisfactionem, & abſolutionem, ſui Ordinarii arbitrio, ſuſpendatur. Hactenus Conc. Triden.

*Patronus uſurpans amittit Iuſpatronatus. Clericus uſurpationis fabricator, quibus pœnis ſubjaceat.*

Pari etiam pœnæ ſubjicimus eos, qui ſciunt tales detentores, & occupatores bonorum hujuſmodi, ſive feudorum, niſi infra præfatum tempus illos manifeſtaverint. Et ſi occupatores, & detentores hujuſmodi bona reſtituere neglexerint, ultra præfatas pœnas, omnibus aliis juribus, quæ ab Eccleſiis tenẽt, hoc noſtro decreto eos perpetuò privamus, & privatos eſſe decernimus. Volentes, ut hęc Conſtitutio ter in anno publicetur, quum major veriſimiliter populi multitudo in Eccleſiis reperitur: Denunciatores autem etiã ſecretos talium occupatorum, ultra mercedem Divinam ſuis præmiis non fruſtraturi.

*Conſtitutio publicanda.*

Statuimus item, & ordinamus, ut Beneficiati, & alii Clerici ſtudeant indagare, ſi qui ſint detentores bonorum Eccleſiarum, aut Decimarum oppreſſores piorum locorum, & miſerabilium perſonarum, viduarum, pupillorum, & orphanorum; & ſi quos repererint, illos Nobis, aut Vicario noſtro in Spiritualibus notificent; ut contra eos, prout juſtitia poſtulat, procedi poſſit, in quo ſi negligentes fuerint, eorum conſcientias oneramus; reſervata etiam Nobis, vel Vicario noſtro arbitraria punitione.

*Beneficiati vigilent cõtra detentores bonorum Eccleſiaſticorum.*

Et

Et quia ſęcularium nonnulli interdum temeritate propria Decimas, quas omnium Dominus ſolvi præcepit, in totum, vel pro parte ſubtrahere, vel per fraudem diminutas, & vitiatas præſtare non verentur, in animarum ſuarum grave periculum, præcipimus cunctis prædicatoribus, & confeſſoribus, tam religioſis, quàm ſęcularibus in virtute ſanctæ obedientiæ, quatenus in prædicationibus, & confeſſionibus, fidelem populum ſtudioſiùs moneant, & inducant, ut memores ſalutis animarum ſuarum, Decimas omnium terra naſcentium, ſine ulla diminutione, & fraude, perſonales verò ſecundum laudabilem conſvetudinem perſolvant, ſi pœnas damnationis æternæ voluerint evitare.

*Decima integrè, & ſine fraude ſolvenda.*

Et quoniam magni momenti eſſe putamus, quòd ultra jam ſuperius dicta, ſaluberrimum etiam Conc. Trid. Decretum de Decimis ad fidelis populi notitiam deducatur, illud hìc de verbo ad verbum ſubjungi voluimus; videlicet.

*Seſ. 25. c. 12.*

Non ſunt ferendi, qui variis artibus decimas Eccleſiis obvenientes, ſubtrahere moliuntur, aut qui ab aliis ſolvendas, temerè occupant, & in rem ſuam vertunt; cùm decimarum ſolutio debita ſit Deo; & qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas invadunt. Præcipit igitur ſancta Synodus omnibus cujuſcunq; gradus, & conditionis ſint, ad quos decimarum ſolutio ſpectat, ut eas, ad quas de jure tenentur; inpoſterùm Cathedrali, aut quibuſcunque aliis Eccleſiis, vel perſonis, quibus legitimè debentur, integrè perſolvant. Qui verò eas aut ſubtrahunt, aut impediunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine, niſi plena reſtitutione ſecuta, abſolvantur.

*Decimarũ ſolutio Deo eſt debita.*

Omnibus igitur tam Eccleſiaſticis, quàm Sęcularibus Iudidicibus, Officialibus, & Miniſtris noſtris ſeriò præcipimus, quatenus gratiam noſtram curam habent, ut Eccleſiaſticis perſonis, & earum Miniſtris, pro ipſarum decimarum conſecutione, omnino preſtò ſint, auxilium eis præbendo adverſus pertinaces, & quoviſmodo in ſolvendis decimis frau-

*pro decimarum conſecutione, præſtò ſint Iudices ſæculares.*

fraudem ommittere attentantes.

## DE NOVALIBVS.
### Cap. 44.

Bern. c. 28. PLacuit bon. mem. Cardinalis Bernardi Decretum ſuper Novalibus per Nos innovatum, hic ſubjungere. Videlicet.

Licèt laici in Eccleſiarum Parochiis decimas poſſideāt ab antiquo, Novalium tamen Decimas, quæ in parochiis ipſis inſurgunt, nullo modo ſeu titulo valent poſſidere, Præſenti itaque Conſtitutione decernimus, Novalia hujuſmodi non ad laicos prætextu decimarum, ſed ad Eccleſias, ſub quarum diſtrictu creſcunt, pertinere, juri communi, ac Conſtitutionibus quondam bo. mem. Epiſcopi Alexandri, ac aliorum Prædeceſſorum noſtrorum, inhærendo, mandamus laicis, & Novalium ipſorum detentoribus, ut ea liberè Eccleſiis dimittant, ſub pœnis in eiſdem Conſtitutionibus cōtentis; in quibus præcipitur omnibus, & ſingulis Plebanis noſtræ Diœceſis, ſub excommunicationis pœna, ut poſtquàm tales detentores legitimè declarati fuerint, excommunicationis ſententiam incidiſſe, publicè diebus Dominicis, & Feſtivis, candelis accenſis, pariter & extinctis, & Campanis pulsatis, excommunicati denuncientur. Quibus pœnis ſucceſſores, & hæredes Novalia ipſa uſurpantium, pari judicio volumus ſubjacère.

*Novalia ad Eccleſ. ſub quarum diſtrictu creſcunt, pertinent.*

Inſuper mandamus univerſis, & ſingulis colonis, & affictalinis, qui agros convertunt in prata in fraudem, ne decimas ſolvāt, ſub excommunicationis pœna, ut ab ejuſmodi fraude deſiſtant; ſed de fructibus, etiam ſecundariis, quotieſcunque etiam in anno naſcuntur, & quibus de jure tenentur, decimas dent, & ſine aliqua diminutione perſolvant.

*Agros in prata convertentes in fraudem, ne Decimas ſolvant, excommunic.*

DE

## DE BONIS ECCLESIÆ NON alienandis. Cap. 45.

VT bona, quæ pia fidelium devotio Eccleſiis contulit, illæſa, & integra cuſtodiantur, bo. mem. Anteceſſoris noſtri Cardinalis Bernardi Decreto inhærentes, vetamus omnibus Præpoſitis, Prælatis, Decanis, Prioribus, Beneficiatis, & aliis quibuſcunq; tam ſęcularium, quàm regularium Eccleſiarum Rectoribus, nè beneficiorum ſuorũ bona tam immobilia (qualiacunque ea ſint) quàm mobilia, præſertim ad Canonicæ, vel Eccleſiæ ipſius uſum pertinentia, citra noſtrum conſenſum in ſcriptis habitum, alienare audeãt; ſed contra, omni ſtudio advigilent, nè ipſorum incuria, aut culpa diſſipentur, aut ab aliis uſurpentur. *Bern. c. 26.* *Eccleſiarũ bona non alienanda ſine conſenſu Ordinarij*

Prohibemus prӕterea omnibus antedictis, nè caducitates, & devolutiones bonorum Eccleſiarum, & Beneficiorum remittere, aut ſuper his tranſigere, vel novas locationes perpetuas, ſine noſtra licentia, ipſis contractuum inſtrumentis inſerenda, concedere poſſint, decernentes hujuſmodi citra noſtram licentiam celebratos contractus quoſcunque, licèt aliis ſolennitatibus alioqui ſint vallati, nullius eſſe roboris, & efficaciæ. Notarios autem tales contractus ſcribentes, ſuſpenſionis ab officio per annum, & inſuper quinque marcharum pœna mulctari volumus. Mandantes ter in anno tempore congruenti hanc Conſtitutionem per Parochos publicari. *Caducitates, & devolutiones non remittendæ.* *Locationes perpetuæ prohibitæ.* *Notariorum pœnæ ſcribentiũ contractus citra hoc capitulum.* *Cap. publ.*

## DE BONIS ECCLESIARVM adminiſtrandis. Cap. 46.

CVM Eccleſiarum bona in Domino Dei ſint poſita, poſſeſſio eorum apud Eccleſiam, adminiſtratio verò apud Rectores; omnes Clericos, & Sacerdotes Beneficiatos admonemus, & ſeriò eis pręcipimus, ut bonorum hujuſmodi

 dili-

*Eccleſiarũ bona diligẽter conſervanda.* diligentem curam habeant, ſtudeantq; & invigilent, nẽ à quoquam uſurpentur. Quòd ſi verò in hoc ab aliquo impediantur, Nobis id denuncient. Et ſi per eorum negligentiam, Eccleſiæ paſſæ fuerint damnum, pœnis juris, & aliis noſtro arbitrio afficiantur.

*De ſepult. & ad divinũ cultũ deputata, & de rebus Eccleſ. nil ſtatuant laici.* Diſtrictè prohibentes laicis, nè de ſepulturis dandis ſe intromittant; nec campanas, aut alia ad cultum divinum deputata, contra voluntatem presbyterorum, quocunque modo contrectent: ſed eorum uſum integrum Parochis permittant; nec in Eccleſiis, & rebus earundem quicquam propria auctoritate ipſi ſtatuere, aut ordinare præſumant: *Decr. publ.* Quod decretum ſæpius per annum in Eccleſiis publicari mandamus.

## DE CONFICIENDIS INVENTARIIS redditũum Eccleſiarum. Cap. 47.

NE bona Eccleſiarum injuſtè occupentur, Anteceſſorum noſtrorũ menti inhærentes, ſtatuimus ſub pœna quinq; *Bern. c. 24.* florenorum, ut quilibet Beneficiatus infra annum à publicatione præſentis Conſtitutionis, bonorum tam mobilium, quàm immobilium Eccleſiæ, & Beneficiorum ſuorum per *Inventariorum copia authentica Ordinario præſentanda.* Notarium publicum, Inventarium authenticum curet faciendum: in quo Bonorum immobilium quantitates, & confinia accuratè deſcribantur, quod quidem Inventarium, ſeu copia ejus authentica nobis in dicto termino præſentetur, originali apud Eccleſiam; ſeu Beneficiatum remanente: contra negligentes autem Vicarius noſter ad pœnas prædictas, aliaſque graviores pro qualitate contumaciæ, procedat.

DE

## DE LOCATIONIBVS Bonorum Eccleſiarum. Cap. 48.

EAdem ratione prohibemus, nè quis Clericus cujuſcunq; ordinis exiſtat, redditus, aut bona ad Beneficium, vel Eccleſiam ſuam pertinentia, ad longius tẽpus, quàm ad triennium locare poſſit, neque factam jam locationem renovare, aut prolongare ad longius ſpatium, quàm de triennio in triennium; decernentes, ut contractus hujuſmodi locationum factus ad longius tempus validus non ſit, niſi conſenſus, & beneplacitum à Nobis obtentum ſit, & inſtrumento inſertum.

*Locationes ultra triennium invalidæ.*

Similiter prohibemus Beneficiatis quorumcunq; Beneficiorum, & Eccleſiarum, anticipatè aliquid recipere à conductoribus ſuis, nè qua ſucceſſoribus fraus, aut præjudicium fiat, juxta Decretum Conc. Triden. ſeſſ. 25. cap. 11. incip. Magnam Eccleſiis.

*Anticipatæ ſolutiones prohibitæ in locationib.*

## NE VACANTES ECCLESIÆ ſpolientur. Cap. 49.

STatuimus, nè ullus Eccleſiaſticus, vel ſecularis, quocunq; officio in parochia fungatur, ſive dignitate præemineat, Eccleſiarum vacantiũ, aut Clericorum decedentium maximè Parochorum bona rapiat, diſſipet, aut invadat, juriſpatronatus, aut alio quocunq; prætextu. Contrafacientes ſi juſpatronatus habeant, illud eo ipſo ãmittant, & ut alii quicunq; anathemati, & aliis pœnis ſubjaceant, juxta decret. Cõc. Tr. ſeſſ. 22. de ref. c. 11. incip. Si quem Clericorum. Quod decretum aliquoties per annum publicari volumus.

*Eccleſiarũ, & Cleric. bona invadẽtes qua pœna plectantur.*

Curet autem Decanus Ruralis, vel ipſo abſente, Commiſſarius; aut proximior Parochus, quẽ æedituus Eccleſiæ ægrotantis de periculoſa ejus infirmitate, & obitu (ſi ſequatur) quamprimùm certiorem faciat: omnia bona mobilia, &

*Decr. public.*

*Clerico decedente, Dec.*

*nus, &c. quid agat.*

ſcripturas jurium ipſius defuncti, in tuto loco reponi, & obſignari, quouſque Nos, vel Vicarius noſter certiores facti ſimus; interim ipſe Decanus provideat de idoneo Sacerdote pro populi, & Beneficii exigentia, uſq; ad ulteriorem noſtram, vel Vicarii noſtri deliberationem.

## DE SYNDICIS, ET IVRATIS Eccleſiarum, Cap. 50.

*Syndici quales eligen.*

Eccleſiarum indemnitati providere cupientes, præſenti Conſtitutione ordinamus; ut præter Rectorem, ſive Plebanum, tanquàm principalem, quotannis duo laici bonæ famæ, & converſationis, & qui ſolvendo ſint, vel tot, quot fuerint neceſſarii, & opportuni; Syndici, ſeu Iurati fabricæ cujuſq; noſtræ Diœceſis Eccleſiæ conſtituantur. Qui quidem laici hujuſmodi ſyndicatus, ſeu procurationis officia, citra eorum privata commoda, fideliter cum ſcitu, & conſenſu Plebani, exerceant; rationem de ſingulis per eos collectis, levatis, diſtributis, & factis in præſentia ipſius Rectoris, ſive Plebani, tanquàm principalis procuratoris, & aliorum, juxta laudabilem cujuſque loci conſvetudinem, ſingulis annis, temporibus conſvetis, unà cum reſiduis reddendo. Quæ reſidua, & in univerſum, omnia fabricæ credita, ſub ipſorum ſyndicatu facta, intra bimeſtre ſucceſſoribus exacta conſigēt; ſin minus, de ſuo ea p̄ſtare teneātur. Succeſſores verò munus hujuſmodi ſuſcipientes, jurent in manibus Parochi, ſe fideliter officium ſuum facturos. Parochis verò præſentis Decreti auctoritate, hujuſmodi juramentū recipiendi, etiam mulcta renitentibus ſyndicis indicta, facultatem impertimur. Quod noſtrum Decretum qui tranſgredi auſi fuerint; ii per Rectorem, ſeu Plebanum canonicè moniti, ſi in præmiſſis non ſatisfecerint, eo ipſo ſacrorum Canonum pœnas incurrant: Plebani verò de his ad Nos, vel Vicarium noſtrum referant.

*Redditis rationibus reſidua ſucceſſoribus conſignentur exacta.*

Qua

Qua in re ſeriò monemus ipſos Rectores, ut diligenter officio ſuo ſatisfaciant, alioquin & Deo, & Nobis negligentiæ rationem reddituri, condignamque punitionem recepturi.

*Eccleſiarũ pecuniæ, & inſtrumenta capſis incluſa aſſervẽtur.*

Et ut Eccleſiarum neceſſitatibus opportunè ſubveniatur: ordinamus, ut pecuniæ ad eas pertinentes, ſcripturæ item, & quæcunque litterarũ monimenta aſſerventur in capſis firmiter ad hoc conſtructis, & loco tutiore poſitis, quæ uti & gazophylatia, duabus vel tribus clavibus pro locorum cõſvetudine obſerentur; quarum unam Parochus, alteram ſecularis poteſtas (ubi ita conſvetum eſt) tertiam Syndici habeant: ita ut neque dicti Syndici, neq; alii poſſint iis pecuniis uti, aut aliis utendas dare. Et qui hactenus pecunias hujuſmodi penes ſe habuerũt, cogãtur ſub pœna dupli fabricæ applicanda (quam etiam duplicem pœnam, novo Syndico intra dictum bimeſtre, exactionem negligenti, applicandam eidem fabricæ, imponi mandamus) infra idem ſpacium omnino eas reddere novis ſyndicis, ad neceſſarios Eccleſiarum uſus reponendas, & ubi occaſio tulerit, impendendas.

*Pœna Syndicorũ negligentium exactionem*

*Oblationes in capſis Eccleſiarum à laicis non uſurpentur.*

Prohibemus etiam, nè oblationes, quæ in gazophylatiis, & capſis in Eccleſiis conſtitutis fiunt, à laicis etiam Iuſpatronatus habentibus occupentur; nevè propria auctoritate in illis ſe ipſi ingerant, quacunq; arte, vel quæſito colore, in proprios uſus illas convertendo, ſeu impediendo, nè ab iis, ad quos de jure pertinent, percipiantur, ſub pœna excommunicationis, & aliis juxta Decret. Conc. Trid. ſeſſ. 22. cap. 11. § incip. Si quem Clericorum.

*Scripturis, & libris Eccleſ. &c.*

Et quia ſæpè magnæ quibuſdam in locis fieri cõſveverũt impenſæ, in adhibendis Notariis, & conficiendis inſtrumẽtis, & ſcripturis; Item in aliis rebus, quæ in libris Eccleſiarum ſcribuntur: cupientes ipſarum Eccleſiarũ indemnitati conſulere; Statuimus, quòd ſcripturis, & libris rationum ipſarum Eccleſiarum, necnon locationibus temporalibus, & affictibus (quos vocant) perpetualibus ſecundùm Conſti-

*manu notatis fides adhib.*

tutiones noſtras faciendis uſque ad ſummam vigintiquinq; Rhenenſium, Plebani manu coràm Syndicis ipſius Eccleſiæ, aut Regulanis, ſeu Iuratis villarum, vel duobus ſaltem idoneis teſtibus, notatis, plena adhibeatur fides, non ſecus, ac ſi Notarii publici manu ſcriptæ eſſent. Id quod etiam ad ſcripturas eadem ſolennitate antehàc factas extendi volumus. Mandantes etiam, ut impenſæ, quæ in rationibus Syndicorum recipiendis, fieri conſveverunt, quantum fieri poteſt, moderentur, ac ſuperfluæ tollantur: præſertim illæ, quæ in comeſſationibus, & compotationibus in Eccleſiarum detrimentum fieri ſolent.

*Impenſæ moderādæ.*

## DE LEGATIS AD PIAS CAVSAS, & ad quæ teneantur Notarii.

### Cap. 51.

*Bern. c. 36.*

VOlumus, & mandamus, inhærendo Conſtitutioni bon. mem. Cardinalis Bernardi, ut nullus Notarius per totam Diœceſim noſtram præſumat conficere ullum teſtamentũ, niſi aliquid fabricæ Eccleſiæ Cathedralis Sancti Vigilii Tridenti ſit legatum, ſub pœna decem florenorum.

*Notarij impedientes quo minus legata pia fiant, quam pœnam incurrunt.*

Mandamus etiam diſtrictè eiſdem Notariis ſub pœna reficiẽdi Eccleſiæ de ſuo quanti illius intererit, necnon peccati mortalis ( cujus abſolutionem Nobis, vel Vicario noſtro expreſsè reſervamus ) ne animos teſtantium avertant quominus legata ad dictam fabricam, ac alias Eccleſias, & pias cauſas, faciant.

Præterea dolenter audivimus, quòd fidelium tàm Clericorũ, quàm laicorum teſtamenta, atq; ultimæ voluntates, & maximè pro animarum ſalute ad pios uſus legata, & relicta, ſuis debitis executionibus perversè, & negligenter multis in locis multiplicentur fruſtrentur, & retardentur.

Cùm itaq; ultima voluntas teſtantium, & præſertim ad pias cauſas, debita executione nullo modo ſit fraudanda, & noſtro incumbat officio Paſtorali, talibus providere, teſtamẽtaq; defendere, & exequi; Vniverſis noſtræ Diœceſis, & Iari-

Iuriſdictionis Eccleſiaſticis, & ſçcularibus ſub interminatione Divini Iudicii, & aliis pœnis, quæ Nobis, vel Vicario noſtro, pro qualitate facti, & perſonarum infligendæ videbuntur, inhibemus, nè teſtamenta, & ultimas voluntates Eccleſiaſticarum, vel ſçcularium perſonarum, maximè ad uſus pios, earumq; executionem negligant, retardent, vel impediant. Nec teſtamentorum, & legatorum, quæ ad Divinum cultum pro animarum ſalute ſunt facta, & cauſarum, occaſione ipſorum, pro tempore motarũ, & movendarum, cognitioni ſe intromittant; ſed eam ad Nos, vel Vicarium noſtrum remittant.

*Legata ad pias cauſas executioni mandentur.*

*Legata pia, & eorũ cauſæ Ordinario reſervatæ.*

Mandantes etiam ſub eadem pœna omnibus Notariis, ut hujuſmodi legata pia, quæcunque in ſuis inſtrumentis habent intra duos menſes à publicatione præſentis Decreti computandos, omnino in ſcriptis exibeant (etiam ſi antehàc aliquando ea exhibuerint) Parochis, ſeu Curatis locorum ubi degunt hęredes ad ipſa legata obligati; & in poſterùm etiam ſucceſſivè, quæcunque legata pia habebunt, intra duos menſes computandos à die mortis ipſorum teſtatorũ, ſeu codicillantium, exibeant dictis Parochis, ſeu Curatis, qui pariter tanquam de animabus ſibi commiſſis, diſtrictè rationem redditurі, ſeriis adhortationibus efficere ſtudeant, ut legata hujuſmodi infra idoneum tempus juxta teſtatorum diſpoſitionem, executionem habeant. In quibus exequendis ſi Notarii, & hæredes ad legata obligati culpabiles fuerint, ultra præfatas pœnas, incurrant mulctã unius floreni fabricæ Eccleſiæ Parochialis applicandam, & nihilominus per ipſos Parochos, vel Curatos Nobis, vel Vicario noſtro quamprimùm denuncientur, ad hoc ut officio noſtro ſatisfacere valeamus.

*Notarij legata pia Parochis exhibeant.*

*Notarij, & hæredes legata pia negligentes quib. pœnis ſubjaceant.*

Ipſi quoque Parochi, & Curati in prædictis negligentes, eandem pœnam incurrant.

*Iidem Ordinario denun.*

Inſuper Decretum hoc integrum ſaltem bis per annum publicetur in Eccleſiis.

# DE LEGATORVM PIORVM commutatione. Cap. 52.

*Conc.Trid. ſeſſ.22.c.8. de reform.*

QVoniam omnium piarum diſpoſitionum in caſibus à jure conceſſis executores ſunt Epiſcopi; Propterea, ſi quæ commutationes legatorum ad pias cauſas faciendæ videbuntur, mandamus eas ad nos referri, ut poſſimus juxta Decretum Conc. Trid. ſeſſ. 22. cap. 6. circa eas providere: Sicubi verò vel propter magnum numerum Miſſarum ex legatis, vel propter tenuitatem Eleemoſynarum aliqua opus fuerit nova proviſione, ut piis teſtantium mentibus ſatis fiat; mandamus pari modo de iis ad Nos referri, ut poſſimus in Synodo, prout expedire videbitur, providere.

*Seſſ.25 c.4. de reform.*

# DE TESTAMENTIS Clericorum. Cap. 53.

*Bern.c. 57.*

NE circa Clericorum teſtamenta, & eorum executiones ullæ fraudes committantur, & bona per eos relicta ad alios uſus, quàm ſunt deſtinata, diſpenſentur; ſtatuimus, ut quicunque in noſtra Diœceſi extra Civitatem executor, ſeu Commiſſarius bonorum relictorum per Clericos decedentes, ſe intromittere velit in executione facienda, antequàm manum ad aliqua bona detrahenda apponat, omnino conficiendũ curet inventarium authenticum bonorum in hæreditate defuncti Sacerdotis repertorum (ſi quidem ad valorem rhenenſium quinquaginta aſcendunt) illudq; ad nos mittat, & de obitu Nos, vel Vicarium noſtrum, quã primùm certiorem faciat, & ubi legitimè requiſitus fuerit Nobis, aut dicto Vicario integram de inventis, vel diſtributis reddat rationem.

*Inventaria bonorum repertorum in hæred. Cleric. def.*

Si verò probabiliter ad valorem quinquaginta Rhenenſium non aſcendunt, executor ipſe, præſentibus Syndicis, vel duobus teſtibus fide dignis, inventarium conficere poſſit: quo caſu etiam ſupraſcripta ſervare obligatus ſit.

Si quis verò præmiſſis non ſervatis, bona cujuſcunque Clerici

Nobis

Nobis immediatè ſubjecti, diſpenſare præſumpſerit, ultra refectionem de ſuo proprio, arbitrio noſtro puniatur.

Mandamus inſuper omnibus Parochiis per Diœceſim noſtrã ubilibet conſtitutis, ut, ſi quem regularem cujuſvis ordinis extra clauſtra, & ſuorum obedientiam in hac noſtra Diœceſi mori contingat, ejus bona quæcunque quamprimùm annotent, & Nobis inventarium tranſmittant, eaq; diligenter cuſtodiant, donec à Nobis aliud deſuper ſtatuatur, ſub pœnis arbitrio noſtro exigendis.

*Regulari extra clauſtra, & ſuorum obedientiam defuncto, quid agendum.*

## DE PORTIONE FRVCTVVM, POST mortem Clerici reſtantium, ſucceſori aſſignanda Cap. 54.

QVia verò frequenter controverſię inter Clericos noviter promotos ad Beneficia, & executores defunctorum ſuper fructibus reſtantibus occurrunt, cuinã debeant applicari: proinde Nos, canonum ſanctiones imitando, ordinamus hujusmodi inter præmiſſos noſtræ Diœceſis extra Civitatem noſtram faciendam eſſe diviſionem: Videlicet, ut de ſuperexiſtẽtibus fructibus, talis ſucceſſoribus aſſignetur portio, unde Iudicio Vicarii noſtri, vel Decani Ruralis, honeſtè ſuſtentari valeant, uſque ad integrorum, & novorum fructuum perceptionem, quocunque anni tempore decedere contingat Anteceſſorem, nè Plebs occaſione tali debito defraudetur obſequio.

## DE SEPVLTVRIS. Cap. 55.

STatuimus, & ordinamus de occiſis, ſeu præventis mortuis in enormibus, & manifeſtis peccatis, cujuſmodi ſunt interdicti, excommunicati, ſe ipſos ex deſperatione interimentes, Hæretici (quorum ſepultura in Eccleſia, ipſo facto, Eccleſiaſtico interdicto ſubjicitur) publici concubinarii, & uſurarii manifeſti, quòd in Cæmeterio non ſepeliantur, ſi

*Bern. c. 59.*

*Eccleſiaſtica ſepultura indigni.*

ſine

ſine confeſſione, vel ſaltem ſignis contritionis deceſſerint. Et qui tales ſcienter ſepelierint, abſque ſpeciali licentia noſtra, vel Vicarii noſtri ſententiam excommunicationis hac noſtra monitione præmiſſa, ipſo facto, & ulteriorem pœnã, etiam arbitrio noſtro infligendam incurrant. Adjicientes, ut cadavera contra hanc noſtram Conſtitutionem ſepultorum exhumentur, & ſepultura careant Eccleſiaſtica.

*Qui ĩdignos ſcienter ſepeliunt, quam pœnam incurrunt. Indig ſepul. exhumitur.*

Vt inſuper occurramus nimiæ quorundam ambitioni, qui non contenti fidelium cæmeterio, loco ad hoc deſtinato, in ipſis Eccleſiis, atq; adeò juxta altaria, volunt ſua, ſuorumq; cadavera tumulari: ſeriò prohibemus, nè ullus poſthàc cujuſcunq; conditionis, vel gradus exiſtat, ſepulcra nova in Eccleſiis condere præſumat, ſine noſtra, vel Vicarii noſtri licentia ſpeciali. Qua obtenta, teneantur nihilominùs ſepulcra ipſa, ſolo æquata lapide ita plano tegere, ut vel armorum, vel aliarum imaginum ſculptura deſuper tranſeuntium pedes non offendant, nec Divinum officiũ impediant.

*Sepulcra in Eccleſ. qualiter concedenda.*

Parochi non permittant ulla in Eccleſiis, aut Capellis depingi arma, niſi ab iis, qui eas fũdaverint, aut in toto, vel majore parte dotaverint, reſtauraverint, aut aliàs notabiliter de iis ſint benemeriti.

*Arma, vel inſignia in Eccleſ. depingi quib. concedendũ*

## DE REGVLARIBVS;
### Cap. 56.

VT qui Regularem vivendi normam elegerunt, ſecundùm regulas ſuas, & Decreta ſacræ Oecumenicæ Syn. Trid. vivant; decernimus, atq; mandamus omnibus Præpoſitis, Prioribus, Guardianis Civitatis noſtræ, ut ultra profeſſionis ſuæ Regulas, omnia ea, & ſingula, quæ in eodẽ Conc. Trid. de refor. regularium ſancita, quæq; per Summos Pontific. decreta ſunt; tum in admiſſione ante religionis profeſſionem: tum etiam in electionibus ad regimen monaſteriorũ, & reliqua vitæ norma inſtituenda, plenè & exactè obſervẽt. qua in re, nè quis negligẽtiæ, aut inobediẽtię ſuę impunita-

*Mulieres nullę intra*

tem

tem ſperet, præſenti Decreto ſcire volumus Regulares omnes, Nos in caſibus, quos nobis dictum Conc. Trid. tum fœl. record. Pont. Max. Pius V. & Greg. XIII. ſuis Conſtitutionibus hac in parte delegant, contra tranſgredientes ſeverè eſſe proceſſuros. Ante omnia verò caveant, nè ullas mulieres cujuſcunque conditionis ſint, intra Monaſteriorum ſuorum ſepta admittant; alioqui pœnis in dictis Bullis contentis ſeverè puniendi.

*monaſteriorum ſepta admittantur. Pii V. Bula incip. Regulariũ. Gr. xiij. Bul inc. vbi gr.*

Vt autem Novitii in Monaſteriis præſertim Sancti Michaelis, & Sanctæ Mariæ in Gries admiſſi, utiles evadant religioni, præcipimus Præpoſitis, ut provideant de Ludimagiſtris ſufficienter eruditis, & bonæ famæ, qui eos tam bonis litteris, quàm moribus inſtruant, & doceāt; qui in manibus ipſorum Præpoſitorum profeſſionē fidei ante omnia emittant. Habeant etiam Theologum, qui religioſos in iis, quæ regulam, conciones, conſcientię caſus, & id genus alia reſpiciunt, omni qua poteſt diligentia, inſtruat, juxta ſacri Conc. Triden. Decretum, ſeſſ. 5. cap. 1. de refor.

## DE MONIALIBVS.
### Cap. 57.

Moniales etiam ad Regulæ, quam profeſſæ ſunt, preſcriptum, vitam ſuam componant, ordinumq; ſuorum vota cuſtodiant; ante omnia verò clauſura ſicubi neglecta fuit reſtituatur, & inviolatè obſervetur, juxta præſcriptum ſupradictarum Conſtitutionum Pii. V. & Greg: XIII.

Seriò etiam mandamus, ſub eiiſdem cenſuris, & pœnis, omnibus, & ſingulis perſonis cujuſcunq; ſtatus, & dignitatis ſint, tam Eccleſiaſticis, quàm laicis, nè ullo quæſito colore, audeant ingredi ſanctimonialium ſepta, ſine noſtra, vel Vicarii noſtri licentia in ſcriptis obtenta, ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda, juxta Trid. Conc. ſeſſ. 25. cap 5 de Regul. & Monial.

*Monialium ſepta ingredi Eccleſiaſticis, & laicis interdictum.*

In aliis quæ ad ſanctimonialium diſciplinam ſpectant, ea ſerventur,

ventur, quæ ſacri Trid. Conc. & ſupradicti Pontif. in allegatis Conſtitutionibus præcipiunt, quorum omnium obſervationem, & executionem Nos exactè proſequemur.

*Monialium numerus moderandus.* Is tantùm numerus Monialium conſtituatur, & in poſterum conſervetur, qui vel ex redditibus propriis Monaſteriorũ, vel ex conſvetis eleemoſynis commodè ſuſtentari poſſit, juxta Decr. Conc. Triden. ſeſſ. 25. cap. 3. incip. Concedit ſancta Synodus.

## DE CLERICIS IGNOTIS, & peregrinis, ac Regularibus extra Clauſtra degentibus. Cap. 58.

*Sacerdotes qui ad Divina non admittendi.* NE quis Clericus, aut Religioſus profugus, aut aliàs criminoſus in Epiſcopatu noſtro poſthàc refugium, aut latibulum quærat; Statuimus, & ordinamus, ut de cætero nullus religioſus extra clauſtra degẽs, aut ignotus, ſive peregrinus Sacerdos, nedum ad ullam partem curę animarũ exercendam, ſed nec ad ſacrum celebrandum (itinerantibus, qui ſuorũ Ordinariorum, aut alio, qui fide dignas litteras exibeant, exceptis) ſine noſtra, aut Vicarii noſtri licentia, in ſcriptis habita, admittatur: Si ſecus factum fuerit, qui id permittit, ſi quidem Beneficiatus fuerit, quoties contravenerit, pœnam decem floren. incurrat: Si non fuerit Beneficiatus, arbitrio noſtro, unà cũ ab ipſo admiſſo, puniatur.

Licentiam autem hujuſmodi nulli neque ſęculari, neq; regulari Sacerdoti peregrino concedi volumus, niſi & formatas ſuas, & ſui Ordinarii teſtimoniales, ac commendatitias exhibeat.

Si qui verò religioſi extra Clauſtra ad præſens in Diœceſi noſtra moram trahunt, etiam ſi aliàs à Nobis, vel Vicario noſtro commorandi licentiam impetraverint, volumus, ut infra duos menſes à præſentium publicatione, ſe coràm dicto Vicario ſiſtant, licentiamq; obtentam exhibeant. Quod niſi fecerint, contra eos juxta ſacros Canones procedemus,

pro-

procediq; mandamus; nulla eiſdem licentia,aut tolerantia, elapſo dicto termino, ſuffragatura.

Porrò ſi quis hujuſmodi religioſos contra hanc noſtrā prohibitionem fovere præſumpſerit, contra eum per Vicarium noſtrum debitis pœnis, etiam excommunicationis (ſi opus fuerit) procedatur.

## DE QVÆSTVARIIS ORDINVM Mendicantium. Cap. 59.

TAmetſi Quæſtuariorum nomen, atq; uſum Conc. Trid. penitus abolevit, Nihilominus Bullæ Pii V. inhærentes admittimus, ut fratres Ordinum Mendicantium noſtræ Diœceſis,poſſint eleemoſynas ſolitas per Epiſcopatum noſtrum petere; & qui Sacerdotes fuerint, Divina officia inter petendum celebrare, ad quod tamen licentiam (quæ ultra annum ſe non extendat) in ſcriptis à Nobis,vel Vicario noſtro obtinere,&Parochis, ac aliis quibuſcūq; animarum curam gerentibus,ad quos divertent eleemoſynas petituri, oſtendere, eleemoſynaſq; per ſe ipſos, non autem per perſonas ſubſtitutas, colligere teneantur.

*Quæſtuarij qui, & qualiter admittantur.*

Quibus per licentiam hujuſmodi, miſſas tantùm celebrandi, non autem concionandi, aut confeſſiones audiēdi facultas data intelligatur,aliis quibuſcūq; preter antedictos religioſos mendicantes, penitus interdictis, & excluſis. Indulgentias autem publicare aut Icones, Cruces, vel ſimilia, occaſione illa vendere nulli ſupradictorum liceat.

*Queſtuarij celebrare poſſint,non autem concionari, nec confeſſiones audire.*

## DE CONFRATERNITATIBVS Cap. 64.

CVM per Diœceſim noſtram Confraternitates multæ inſtitutæ reperiantur ad pia opera exercenda, eaſdem per Rectores vitæ, & morum integritate probatos, piè ac rectè gubernari cupimus; Mandantes quòd cum earum privilegiis diligenter examinentur,ac viſitentur,& quæ negligenter

*Privilegia Confraternitatum examinanda.*

ter, vel indecenter haberi compertæ fuerint, ſi nulla alia ratione ad obſervantiam concedentem reduci poterunt, tollantur. De cætero verò nullæ abſque auctoritate noſtra inſtitui, vel erigi poſſint.

*Parochi, & Decani ſatagant.* Parochi verò, ac Decani intra quorum fines Confraternitates conſtitutæ reperiuntur, eandem adhibeant diligentiam, ut omnia in eis decenter, & piè peragantur.

Et ſi quos redditus, aut alia bona poſſident, ea omni ſtudio cōſervari, & ſingulis annis per Maſſarios adminiſtrationis exactam rationem reddi volumus.

## DE HOSPITALIVM, ET ALIORVM piorum locorum adminiſtratione.

### Cap. 61.

QVia ſacrum Trid. Conc. nobis imponit curam providendi, ut Hoſpitalia, & alia loca pia fideliter adminiſtrentur Statuimus, ut qui ad Hoſpitalium, Montis pietatis, & piarum Confraternitatum quarumcunq; regimen aſſumentur, jurent, in manibus Vicarii noſtri, vel ab eo deputati, ſe fideliter officium ſuum facturos, bona ipſorum locorum ad deputatos uſus diſpenſaturos, & ſi quæ indebitè alienata fuerint, recuperaturos.

Ne verò bona hujuſmodi locorum piorum & eleemoſynas ad privata ſua cōmoda convertant, omnia mobilia, & immobilia bona in inventarium diligenter redacta, durante eorum adminiſtratione (quæ ultra triennium non extēdatur) nullatenus conducere, vel ſuis uſibus accommodare poſſint; ac ſingulis annis Nobis, vel Subdelegatis noſtris adminiſtrationis rationem reddere teneantur, recuſantes Eccleſiaſticis cenſuris compellantur.

*Fabricæ ruinoſę reſtaurandæ.* Qui verò Hoſpitalia ad pauperum uſum inſtituta in Prioratū adminiſtrationem, vel quemcunq; alium titulum obtinuerint, fabricas ruinoſas reſtaurent, & ſartas tectas cuſtodiant debitaq; onera præſtent: in quo ſi negligentes fuerint, ſecundùm

cundùm ſacrorum Canonum, & Conc. Trid. diſpoſitionem, contra eos procedemus.

Mons pietatis Civitatis noſtræ ( undè mutuas pecunias gratis pauperes accipiunt ) & ſi quæ ſunt alia hujuſmodi in Diœceſi noſtra, à Præfectis, quorum fides, innocentia, & charitas graviorum virorum teſtimonio commendata fuerit, ſtudiosè, ac fideliter adminiſtrentur. Et omnia juxta Conc. Trid. à Vicario noſtro viſitentur, & recognoſcantur. *Mons Pietatis.*

## DE ADVLTERIS, ET Concubinariis. Cap. 62.

FOedum adulterii, & concubinatus peccatum à noſtro Epiſcopatu eliminatum cupientes, ſacri Trid. Concilii præſcriptum inviolabiliter obſervandum duximus: cujus Decretum ob id hoc loco inſeri voluimus, ut ſciant omnes, Nos contra eos eſſe proceſſuros ſecundùm dicti Concilii regulas: Cujus Decreti tenor eſt. *Seſſ. 24. c. 8 de reform. matr.*

Grave peccatum eſt homines ſolutos concubinas habere: graviſſimum verò, & in hujus magni Sacramenti ſingularem contemptum admiſſum, uxoratos quoque in hoc damnationis ſtatu vivere, ac audere eas quandoq; domi etiã cum uxoribus alere, & retinere. Quare ut huic tanto malo ſancta Synodus opportunis remediis provideat: ſtatuit hujuſmodi concubinarios tam ſolutos, quàm uxoratos, cujuſcunque ſtatus, & dignitatis, & conditionis exiſtant, ſi poſtquàm ab Ordinario, etiã ex officio, admoniti ea de re fuerint, concubinas non ejecerint, ſeq; ab earum conſvetudine non ſejunxerint, excommunicatione feriendos eſſe, à qua non abſolvãtur, donec re ipſa admonitioni factæ paruerint. Quòd ſi in adulterio, vel concubinatu per annum cenſuris neglectis, permanſerint, contra eos ab Ordinario ſeverè pro qualitate criminis procedatur. Mulieres, ſivè conjungatæ, ſivè ſolutæ, quæ cum adulteris, ſeù concubinariis publicè vivunt, ſi ter admonitę non paruerint, ab Ordinariis locorũ,

nullo etiam requirente,ex officio graviter pro modo culpę puniantur, & extra oppidum, vel Diœceſim, ſi id eiſdem Ordinariis videbitur,invocato (ſi opus fuerit) brachio ſęculari, ejiciantur: aliis pœnis contra adulteros, & concubinarios inflictis in ſuo robore permanentibus.

## NE PARENTES CVM FILIIS, AVT FILIABVS, aut Fratres cum Sororibus in uno lecto dormiant. Cap. 63.

QVandoquidem intelligimus in hac noſtra Diœceſi parentes cum filiis,vel filiabus, fratres cum ſororibus, & aliis conſanguineis ſuis proximis, adultis præſertim, in uno lecto interdum dormire, cum evidenti inceſtus, & damnationis animarum ſuarum periculo,nè id im poſterum fiat, vel paupertatis, vel alterius cujuslibet neceſſitatis prætextu, monemus Parochos, ut ſuos parochianos, poſito ipſis ob oculos periculo peccati horrendi imminētis,minis, & pœnis ab hujuſmodi condormitione deterreant, & ſi neceſſitatem ita exigere videant, Nobis, vel Vicario noſtro denuncient pro qualitate facti coercendos, & puniendos. Pariter matres, & nutrices hortentur, nè infantulos noctu in lecto ſecum habeant, propter periculum ſuffocationis,vel ſalem ita eos accommodent, ut non periclitentur: quemadmodum etiam in noſtro Rituali monentur, & poteruntParochi opportunè Dominicis diebus per annum aliquoties hoc Decretum inſinuare.

*Infantulos noctu matres,& nutrices non, niſi cautè in lecto ſecum habeant.*

*Decr. inſin.*

## DE VSVRIS, ET ILLICITIS CONTRACTIBVS Cap. 64.

QVamvis uſuraria pravitas quantò pluribus Conſtitutionibus reprimitur, tantò acriùs per novas fraudes erumpit; ſolerter nihilominus cupidorum hominum avaritiæ, & iniquitati obviam eundum eſſe, & Divinæ, & hu-

manæ

manæ leges admonent. Ac proindè Nos,Cardinalis Bernardi, & aliorum Prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutiones renovantes, ſtatuimus, ut juxta canonicas ſanctiones contra quoſcunq; manifeſtos uſurarios ſeverè procedatur.

Et quia cupiditatis ſtimulis acti avari,& omnis Chriſtianę pietatis obliti, lucris per fas,& nefas inhiantes, variis technis, & fraudibus uſurariã pravitatem contegunt,& obvolvunt.

*Palliatorũ contractuũ iudicia.*

Quandocunq; contractus aliquis ſub titulo,& nomine venditionis,emptionis, locationis, ſocietatis, permutationis, aut quovis alio celebratus fuerit,ſi ex circumſtantiis perſonarum, rerum, temporis, precii, lucri, aut aliis veriſimilibus conjecturis conſtiterit, ſecundùm latentem contrahentium mentem, contractum diverſum eſſe a ſubſtantia realis, puri,& legitimi contractus,ſub cujus nomine celebratus fuit; Declaramus uſurarium eſſe, & pro tali haberi debere; ac contra ita contrahentes, ut contra uſurarios eſſe procedendum ( etiam ſi tales contractus, ut injuſti, & illegitimi,fuerint in judicio reſciſſi ) ob lucrum certum, vel probabile, habitum, aut expectatum,ex pecunia, re exhibita, vel non exhibita;vel ejus precio.

*Notarij quãdo in conſcientia teneantur ad dãna parti læſæ,*

*Notarij qui officio privãdi.*

*Complices fraudulentorum contractuum.*

Quòd ſi Notarii ſcienter celebraverint contractus tales, aut ubi etiam res,de quibus contrahitur, nõ extant,vel ubi pecunia, de qua fit mentio in inſtrumento, realiter non exhibeatur, aut non integrè exhibeatur, vel pro pecunia diverſæ merces, res mobiles, aut ſe moventes juſto precio etiam non æſtimatæ repręſentantur,aut pro repręſentatis habentur, Declaramus illos teneri in conſcientia ad damna parti læſæ reficienda: Et tales Notarios ipſo jure,& facto cenſeri privatos,tamq; indignos, officio tabellionatus,eoſque à matricula Notariorum deleri volumus. Decernentes etiam quòd teſtes, qui ſcienter intervenerint talibꝰ fraudulentis, & ſimulatis contractibus, item proxenetæ, qui tales contractus tractaverint, tanquam participes pravitatis uſurariæ, velut uſurarii puniantur.

Quia verò multiplices iſtæ ſimulatorum cōtractuum fraudes, vulgo notæ non ſunt, Parochi, Concionatores, & Confeſſarii per occaſiones eos ardenti ſtylo inſectentur, deteſtabilem eorum iniquitatē, & pœnas graviſſimas exaggerando: Quod ut faciliùs præſtare queant, Nos per ſpeciale edictum viſitatoribus in hoc Epiſcopatu damnatorum hujuſmodi contractuum ſpeciebus propoſitis, ipſis normam, quam ſequantur, ſuggeremus.

## DE IVDÆIS. Cap. 65.

*Bern. c. 46.* QVoniam honeſtas exigit, & univerſalis Eccleſiæ conſvetudo ſervat, ut Iudæi à Chriſtianis aliquo notabili ſigno diſcernantur: volumus, & ordinamus, ſignum illud eſſe debere circulum de filis croceis in veſte extrinſeca ante pectus, quò ad maſculos, & duas rigas flavi coloris in peplis mulierum. Volumus etiam cap. Poſt miſerabilem: de uſuris, huic ſtatuto eſſe annectendum, & inſerendum, & cum eo publicandum: Cujus tenor ſubſequitur.

Poſt miſerabilem, & infra. Iudęos ad remittendas Chriſtianis vſuras per Principes, & Poteſtates cōpelli pręcipimus ſęculares, & donec eis remiſerint, ab univerſis Chriſti fidelibus tàm in mercimoniis, quàm in aliis, per excommunicationis ſententiã, eis jubemus cōmunionem omnimodã denegari.

Famulatum autem Chriſtianorum, præterquàm in caſibus à Sacr. Canonibus permiſſis, penitus eis interdicimus, ſub pœnis ipſorum Canonum, arbitrio noſtro aggravandis.

## CAPITVLVM OMNIS VTRIVSQVE: de pœnit. & remiſs. Cap. 66.

OMnis utriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit; omnia ſua, ſolus, peccata ſaltem ſemel in anno, fideliter confiteatur proprio Sacerdoti; & injunctam ſibi pœnitentiam, propriis viribus ſtudeat adimplere, ſuſcipiens reverenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum. Niſi fortè de proprii Sacerdotis conſilio, ob aliquam cauſam rationabilem, ad tempus ab ejus perceptio-

ceptionē abſtinendum duxerit. Alioquin & vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur; & moriens Chriſtiana careat ſepultura. Vnde hoc ſalutare ſtatutum frequenter in Eccleſiis publicetur, nè quiſquam ignorantiæ cæcitate, velamen excuſationis aſſumat. Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit juſta de cauſa confiteri ſua peccata, licentiam prius poſtulet, & obtineat à proprio Sacerdote; cùm aliter ipſe illum non poſſit ſolvere, vel ligare. Sacerdos autem ſit diſcretus,& cautus; ut more periti medici ſuperinfundat vinum, & oleum vulneribus ſauciati; diligenter inquirens de peccatoris circunſtantiis, & peccati. Qui prudenter intelligat, quale ei debeat præbere conſilium, & cujuſmodi remedium adhibere; diverſis experimentis utendo ad ſanandum ægrotum. Caveat autem omnino, nè verbo, aut ſigno, aut alio quovis modo prodat aliquatenus peccatorum. Sed,ſi prudentiore conſilio indiguerit,illud abſq; ulla expreſſione perſonæ, cautè requirat. Quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio ſibi detectum, præſumpſerit revelare; non ſolùm à Sacerdotali officio deponendum decernimus; verùm etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam, in arctum monaſterium detrudendum.

## DE CONSTITVTIONIBVS.
### Cap. 67.

NE quis autem harum Conſtitutionum Synodalium ignorantiam prętendere valeat, præcipimus omnibus tam religioſis, quàm ſæcularibus Prçsbyteris noſtrę juriſdictioni ſubjectis, cujuſcunque ſtatus, & dignitatis exiſtunt, ſub pœna duorum florenorum, fabricæ S. Vigilii applicandorum, exemplum infra ſpatium duorum menſium, poſtquam impreſſæ erunt, habere procurent: vitamq; ſuam, ac mores juxta earum ductum, & normam ita inſtituant, ac reforment, ut quibus præſunt, iiſdem & præluceant ad laudem, & gloriam Dei, qui ſit benedictus in ſæcula. Amen.

FINIS.

# ILLUSTRISS: ET REVERENDISS: CARD: CHRISTOPHORI MADRUTII &c.

*Declaratio circa normam conſtituendi cenſus, ſive affictus.*

CHriſtophorus Dei gratia Epiſcopus Tridenti, Adminiſtrator Brixinen. ad perpetuam rei memoriam. Etſi ex Paſtorali officio teneamur omnia promovere, & toto mentis conatu intendere, quo ſubditorum noſtrorum utilitati, & commodo generaliter conſulatur, tamen ſpecialiter humeris noſtris incumbit diligenti cuſtodia invigilare, nè in ſ̧ecularibus negotiis, quæ ſingulis diebus homines pro augmento bonorum temporalium inter ſe tractant, & celebrant, aliquid committatur, quod animos in Gehennam præcipites trahat. Cujus quidem ſolicitudinis Prædeceſſores noſtros fuiſſe diligentiſſimos animadvertimus, dum pro temporum qualitate ipſos varias, & diverſas conſtitutiones promulgaſſe videmus, quibus omnes uſurarias pravitates penitus è mentibus hominum evellerentur: ſed uſu venit (ut à natura omnis ętas ad malum proclivis eſt) quòd quanto plures ederentur inhibitiones, tanto majores excogitarentur fraudes, & colores, quibus non ſolùm animæ à præcipitio non ſunt retractæ; ſed etiam pauperum ſubditorum noſtrorum irreparabilis jactura eſt ſubſequuta. Quùm verò neceſſe ſit, ut aliquis modus contrahendi extitat, & noviſſima conſtitutio per immediatum Prædeceſſorem noſtrum fęlicis recordationis promulgata, & ſi in ſe ſanctiſſima fuerit, tamen malè interpretantium technis, & cautellis adeò periculoſa, & dãnoſa effecta ſit, ut niſi efficacia remedia adhibeãtur, totalem ruinam ipſis pauperibus ſit allatura.

Nos verò Prædeceſſorum noſtrorum veſtigia laudabilia imitando, negotium hujuſmodi maturo conſilio ſæpius diſcuſſimus, & tandem omnibus circumſtantiis, quæ pro temporum qualitate erant conſiderandæ, diligenter conſideratis: Statuimus, ordinamus, & decernimus ut infra.

Quia caſſamus, abrogamus, & tollimus omnes, & ſingulas conſtitutiones per Prædeceſſores noſtros qualitercunq; emanatas, & editas circa contractus affictuum Bladorum, & vini generis cujuſcunq, celebrandos,

& ma-

& maximè conſtitutionem noviſſimam, & volumus, diſponimus, & ordinamus, ut in antea affictu generis cujuſcunq; impunè fieri, & celebrari poſſint, dummodò fiant in ratione rhenenſium ſex pro ſtario frumenti, ſiliginis quinq; milii quatuor: Bladi vero alterius generis cujuſcũq; rhenenſium trium; vini theroldici rhenenſium ſeptuaginta quinq; bulliti ſeptuaginta, dulcis ſexaginta. Pecuniæ verò in ratione quinq; pro centenario, cum pacto tamen perpetuo redimendi, non obſtante præſcriptione aliqua juris municipalis, vel communis.

Item, quòd in caſu devolutionis propter canonem non ſolutum, Dominus agere poſſit ad devolutionē cùm defalcatione tertii, reſpectu dũtaxat capitalis, in quo tertio etiā intelligantur incluſi affictus retē ti, quos Dñs aliter conſequi non poſſit, niſi præcedente de ãno in ãnum mandato de ſolvendo affictum, affictalinis facto, de quo appareat legitimè, quibus mandatis non præcedentibus ut ſupra, devolutio locum non habeat.

Itē quod ab affictibus celebratis ab anno Milleſimo Quingenteſimo citra affictalini, õnes poſſint, & valeãt ſe affrãchare, & Dñi ad id teneãtur.

Item quod prędicta omnia, & ſingula intelligantur locum habere, & habitura ſolùm, & dumtaxat in affictibus habentibus præambulam venditionem, ab eodem affictalino, & non in iis, qui propria bona ab aliis, quam à conductore acquiſita, locant.

Publ. die 19. Ianuarii 1545. ut in actis d. Franciſci Zelli Not. Maleſ.

---

## MODERATIO AFFICTVVM, SIVE CENSVVM Illuſtriſs. & Rev. Card. Ludovici Madrutii.

LVdovicus Miſeratione Divina S. R. E. Tituli S. Honuphrii Præsb. Card. Madrutius Epiſc. Trid &c. Cùm à nonnullis annis citra non parvæ quærelæ exortæ fuerint inter debitores, & creditores ãnuorum affictuum, qui in hoc noſtro Epiſc. Triden. celebrari conſveverunt, ſuper qua controverſia aliàs coram tunc temporis commiſſario Cæſ. fuerunt ab vtraq; parte plures ſupplicationes, & ſcripturę Allegationum productæ, ac proceſſus formatus, qui poſteà ab eodem commiſſario fuit tranſmiſſus ad ſuam Cæſ. Majeſtatem, quæ deindè cauſam ad nos remiſit, no-

bis mandando,ut ſuper ea proviſionem opportunam faceremus,nè ſubditi contra honeſtatem, & æquitatem gravati remanerent. Proindè nos conſiderata ipſa commiſſione,conſideratoq; diligenter tenore conſtitutionis per proximum prædeceſſorē noſtrū ſuper affictibus promulgatæ, ac partibus in cōtradictorio,& ſeorsū ſępe auditis,& cauſa maturo conſilio ad longū diſcuſſa: volentes aſſiduis querelis,& indemnitati pauperū ſubditorū, juxta prædictā cōmiſſionē Cęſ. proſpicere: Hoc præſenti decreto affict⁹ ōnes redimibiles,& ſecūdū formā dictę cōſtitution. celebratos de cętero reducēdos,&moderādos eſſe duxim⁹,pro ut eos ſcil.ex nūc & pro āno pręſenti,& pro aliis ānis futuris moderamus in hunc modum,

| | | | |
|---|---|---|---|
| Videlicet. Frumenti ad rationem groſſorum. | 26 | } | pro ſtario. |
| Siliginis ad rationem groſſorum. | 21 | | |
| Milii ad rationem groſſorum. | 17 | | |

Vini bulliti pro plauſtro ad rationē Rhenenſium quinque pro plauſtro.
Vini dulcis ad rationem Rhenenſium 4. Librarum 1. pro plauſtro.
Olei pro Galeta ad rationem Librarum 4. groſſ. 3.
Butyri ad rationem librarum 4. groſſ. 3. pro pondere.

Poſſint tamē conditores recipere ſolutiones in ſpeciebus ſi maluerint, ſed ad ratam precii prædicti, & non in majori quantitate. Et hanc noſtrā moderationem tam diù ſervari volumus, donec generali conſtitutione ſuper creandis novis affictibus per nos proviſio fiat.

Quo verò ad affictus factos per non nullos præter, & contra formam conſtitutionis prædictæ, & qui à debitoribus allegantur illiciti, & uſurarii, committimus omnibus Iudicibus ordinariis noſtri Epiſcopatus, ut ſuper eis juſtitiam ſummariam adminiſtrent, tam in irritando contractus irritandos, quàm in puniendo puniendos, prout juris erit.

In quorum fidem, & teſtimonium præſentes fieri, ſigilliq; noſtri appenſione juſſimus muniri.

Datum Tridenti in Arce noſtra Boni Conſilii. x1. Septembrii. 1579.

Ad Mand. Illuſtr. & Rev. Dñi Card. pr.&c.

Carolus Grotta, &c.

Decla-

### Declaratio prædictæ clauſulæ; poſſint tamen.

SVpradicta clauſula declaratur, & intelligitur, quod creditores poſſint recipere ſolutiones in ſpeciebus, ſi maluerint, ſed ad ratam pretii prædicti, hoc eſt, quod poſſint recipere tantum Vini, & Frumenti, ſeu aliarum ſpecierum, ad precium commune currens tempore ſolutionis, quantum importat precium in pecunia taxatum, in ipſo decreto; Non autem quod poſſint recipere ſpecies in majori quantitate.

Decretum in Cancellaria Boni Conſilii. Die 23. Septemb. 1579.

# FORMA CONSTITUENDI CENSUS IN EPISCOPATU TRIDENTINO, ET DECLARATIO NONNVLLORVM CASVVM, & Contractuum illicitorum.

*Iuxta Intentionem datam in Synodo Diocæſana ſub Cap. 64. de Vſuris, & illicitis contractibus habita de anno 1593.*

CAROLVS MISERATIONE DIVINA S. R. E. TITVLI S. THOMÆ IN PARIONE PRÆSBIT. CARD. MADRVTIVS, EPISC. PRINC. TRIDEN. ETC. Ad perpetuam rei memoriam. Et ſi prædeceſſores noſtri animarum ſaluti, ac commodis ſubditorum ſumma cum diligentia invigilantes, diverſas pro temporum qualitate ſanctiones, & Conſtitutiones in publicum edere non neglexerint, quibus avaritiæ libidinem extinguerent, & uſurarum pravitatem è ſubditorum mentibus funditùs evellerent; tamen cùm ex fide dignorū relatione didicerimus, & ex uſurariis criminationibus diebus ſuperioribus juſſu noſtro peractis compertum habeamus, avaritiæ fomitem animos ſubditorum noſtrorum adeò incitaſſe, ut poſtpoſitis omnibus piiſſimè editis ſanctionibus, & conſtitutionibus, non vereantur, variis, occul-

tis,& palliatis modis pauperes in cenſuum, ſive affictuum creationibus defraudare, & circumvenire, maximè dum mercibus,& rebus ad eorum rem nõ facientibus,injuſto exceſſivoq; valore ad libitum taxatis, & prę-ciis confeſſionatis loco numeratæ pecuniæ decipiuntur. Nos pro debito muneris noſtri, prædeceſſorum noſtrorum laudabilia veſtigia ſequendo, ut hujuſmodi circumventiones eliminentur,& animarum ſaluti pro poſ-ſe noſtro ſalubriter proſpectum,ac indemnitati pauperum,nè inexplebi-li uſurarum voragine miſerabiliter abſũmantur,conſultum ſit,ſtatuendũ eſſe duximus,ut ſtatuimus,ordinamus,& decernimus,quatenus deinceps cenſus,ſive affictus couſtituti debeant ſuper re immobili,certis limitibus deſignata.

1 Fructifera de ſui natura, & apta ad reddendum affictum.

2 Quæ ſolùm maneat obligata ſolutioni cenſus, non autem alia ipſi' venditoris bona,niſi ratione evictionis,& ad ſecuritatem rei, nimirùm, quòd ea ſit vendentis,& fructifera, & capax ad illius cenſus ſolutionem.

3 Valeatq; tantum,quantum capitale affictus,& tertium de pluri, ob caſum repetitionis ſortis,ut infra dicetur.

4 Deindè verò integrali pręcio in pecunia numerata,coram teſtibus, & Notario tempore inſtrumenti,& non confeſſionato, aut quod dicitur anticipato interveniente,quod quidem præcium revera,quacunq;fraude,ſimulatione,& fictione remota venditor accipiat. Præterea ſub pacto de retrovendendo quandocunque nulla obſtante preſcriptione,nõ coa-cto venditore ad redimendum.

5 Ad hæc ſi res periret in parte,vel in totum, prò parte, vel in totum reſpectivè periiſſe intelligatur periculo emptoris:aut ſi pro parte, vel in totum,caſu tamen fortuito,efficeretur infructuoſa, ad ratam emptoris quoque periculo canon ceſſet.

6 Quod ſi dolo, vel culpa venditoris id contigiſſe probatum fuerit, is teneatur pręcium cenſus reddere, aut illum ſuper alia re immobili, ad ſuperius traditam normam, conſtituere.

7 Si autem dominus rei cenſuariæ illam vendere voluerit, dominus cenſus præferendus erit cuicunq; alteri emptori, eiq;denunciato pręcio, & conditionibus, quibus res eſt vendenda, dies quindecim expectétur, num ipſe velit eam emere. Reliqua verò circa taxam, & devolutionem,

ſeu

ſeu verius ſortis repetitionem, ob canonem non ſolutum, tribus ſucceſſivis annis factis mandatis, & alia præſentibus non contraria, expreſſa in conſtitutionibus prædeceſſorum noſtrorum, firma volumus, uſquè ad aliam noſtram deliberationem permanere.

8 Declarantes bona ob canonem non ſolutum devoluta, ſeu loco ſortis propter moram, ut ſupra, extracta, poſſe redimi,& recuperari per cenſuarium quandocunq; ſoluta ſorte,affictibus incurſis,ac omnibus expenſis. Decernentes proindè,quòd affictus, ſive cenſus ſub alio modo,& forma,aut pactis in futurum celebrandi,nulli ſint,ac fęneratitii eſſe intelligantur,ita ut pœna quoq; debitis ſubjaceant.

9 Nempe ut principales contra præſcriptam formam affictus conſtituentes,pro ſingulo affictu mulctam decem,vigintiquinq;quinquaginta, & centum marcarum,&plus, & minus,juxta caſuum,& perſonarum qualitatem Fiſco applicandarum, incurrant,&c.

Notarii eos ſcribentes, præter alias pœnas pro arbitrio infligendas, ipſo jure, & facto cenſeantur privati officio tabellionatus.

Teſtes quoq; & Proxenetæ, tanquam participes pravitatis uſurariæ, veluti uſurarii puniantur. Cenſus verò præter Iuris diſpoſitionem, & conſtitutionum Prædeceſſorum noſtrorum, præteritis temporibus celebratos, ſubjacere volumus debitis Iuris cenſuris.

Vt autem magis cognoſcatur, quibuſnam modis ſub palliata emptione,& venditione cenſuarius contractus, contra, & præter ſupra expoſitam normam in fraudem uſurarum celebrari conſveverit, diverſiſq; aliis figmentis,& ſimulationibus uſura in his regionibus committatur, nonnullos, magiſq; frequentes caſus ſubjicere operæ precium duximus, ut etiam cauſa ſupradictæ noſtræ conſtitutionis de cenſibus conſtituendis magis cognoſcatur, ab ejuſmodiq; illicitis, & fæneratitiis contractibus abſtineatur, & ignorantiæ craſſæ objectio neminem excuſet.

10 Quidam enim ab indigentibus pecunia emunt fundum, vel aliud ſtabile, & eodem contextu illud locant venditoribus ſub annuo affictu, & cum pacto redimendi. In quo quidem genere fraus, vel ſaltem injuſtitia multifariam committitur. Primo quia precium non ſolvitur ſecundùm qualitatem,& quantitatem fundi, nec emptor habet intentionem emendi, quia in ſe non retinet fundum; ſed locat venditori, nec vendi-

tor

tor pariter habet intentionem vendendi, quia non vult à ſe abdicare, ſed in ſe retinere, ſub ficto nomine conductionis: Item quia penſio ſeu affict° nõ conſtituitur habito reſpectu ad fructus fundi, prout haberi debet, ſed habito reſpectu ad pecuniam: Item quia onera, & pericula rejiciuntur in conductorem, cùm tamen pertinerent ad locatorem, quando verè eſſet dominus rei locatæ: Item quia per pactum oneratur venditor ad expenſas Inſtrumenti emptionis, ad quas tamen tenetur emptor, qui liberè, & abſq; ullo onere lucratur fructus. Ex quibus, prçſertim ex depravata voluntate contrahentium, eorumq; intentione contractus evidenter redditur illicitus. Nec illũ excuſant Conſtitutiones anni 1545. quia illæ prçſupponunt rectam intentionem in contrahentibus ſemper adeſſe.

11 Nonnulli conſveverunt emere annuos redditus, ſeu cenſus pro prçcio quidem à Conſtitutionibus præſcripto; ſed obſtringunt venditorem ad retro emendum, & ad præciũ reſtituendum infra tot menſes, poſt monitionem ſibi factam, & interim emptor percipit redditus: Quod pactum à Iure improbatur, quia ex eo detegitur depravata intentio contrahentiũ, nõ quidẽ emendi vendendi, ſed mutuũ exercendi; Contractus enim hujuſmodi recedit ab emptione annui cenſus, cujus natura eſt, ut ſors perpetuo alienetur, & redemptio pendeat à libera voluntate, & facultate venditoris; ſed quando repetitio ſortis pendet à voluntate ẽptoris, cõtract° reſolvitur in mutuũ uſurariũ, licet effigẽ ẽptionis prçſeferat.

Alii ob affictus per triennium non ſolutos, agunt ad devolutionẽ omnium bonorum obligatorum, putantes ea indiſtinctè in commiſſum incidiſſe, cùm tamen devolutio non debeat admitti, niſi in contractibus emphyteuticis, & in affictibus celebratis cum prçambula, & vera emptione, ex qua dominium directum verè fuerit tranſlatum in emptorem.

In affictibus autẽ conſtitutis ſuper rebus alienis, qui mos eſt frequens in hac regione, ſcilicet ubi quis emit affictus, ſeu jus percipiendi affictus, pro quibus venditor ſupponit, & pro pignore obligat fundos, tunc cùm emptor non emat fundos, nec dominium directũ acquirat, ſed ſolũ emat affictus, non poteſt habere locum pœna cõmiſſi, ſaltem ex æquitate, nec conſolidatio utilis cũ directo. Et quamvis ex ſtylo quorundã Notariorũ, ea pœna in contractibus aliquando inſeratur, non eſt tamen obſervanda, cũ naturæ, & ſubſtantiæ contractus adverſetur, ac repugnet pacto

redi-

redimendi, quod per devolutionem extinctum remaneret. Emptori autem abſq; devolutione competunt alia remedia, ad conſequendum affictus non ſolutos.

Aliqui autem vendunt animalia, vina, grana, & alias merces, pro gravi, & exceſſivo precio, & quia emptores non habent tunc pecuniam paratam, eos conſtringunt ad ſolvendum, & conſtituendum annuos affictus. In qua re venditor duplicem quæſtum facit: primò in ſorte, quam integram, & ſolidam non ſolvit: deindè in annuo redditu, qui in hac anguſta, & ſterili regione aſcendit ad rationem ſeptem pro centum ad minus: Et poſt aliquod tempus ſortem augent ex his exceſſivis affictibus decurſis, & non ſolutis, ſimul cum augmento novorum affictuum.

Quidam etiam anticipata ſolutione emunt vili precio fruges tradendas à venditore eo tempore, quo veriſimile eſt, eas majori precio eſſe valituras, & quas venditores plerunq; venales non habent: quæ anticipatio ſolutionis habet mutui rationem, quia ementes, antequàm res poſſint eis tradi, cenſentur mutuare pecunias venditoribus, ut recipiant lucrum, quod eſt ultra veram æſtimationem.

12 Alii è converſo vendunt vina, grana, & alias merces cariùs, quàm omninò valeant tempore contractus, ob datam emptoribus dilationem ad ſolvendum: qui contractus etiam mutui rationem implicat, quia perindè eſt, ac ſi emptor ſtatim numeraſſet precium venditori, & venditor illud mutuaſſet emptori, uſq; ad terminum, cum lucro, quod pariter erat ultra verum precium.

Aliqui habentes granum venale, illud vendunt tempore hyemis, nulla tunc facta æſtimatione; ſed poſtea precium taxant quanti plurimi eo anno, uſquè ad novas fruges venierit.

Pleriq; verò pecunias mutuant, cum pacto, ut mutuatarius emat ab eis vinum, bladum, pannum, & animalia, vel nomina debitorum ſuſcipiat, & quò meliùs fraudem cooperiant, im primis conficiunt Inſtrumentū ſub figura, & nomine venditionis, pro majori precio, quàm res tunc vendi poſſent, & quibus emens non indigebat, deindè certam pecuniæ quantitatem mutuò perſolvunt. Et licèt videantur duo contractus, tamē cùm ſint facti eodem contextu, & in eodem Inſtrumēto, cenſetur unus factus contemplatione alterius, quia emptor eas res non emiſſet, niſi venditor

ei pecunias mutuaſſet, nec ipſe quoq; mutuaſſet, niſi alter quoq; emiſſet
pro eo precio, & ita vendens lucrũ acquirit ex mutuo, & uſurã cõmittit.

13 Quidam alio genere fraudis utuntur, præſertim contra Ruſticos,
qui a emunt ab eis oves, vel boves, aut alia animalia, quæ ſciunt, aut
credunt eos non habere, eademque fictè eiſdem locant, ſub annua pen-
ſione, vel ſi emunt animalia revera extantia, aut propria habent, ea lo-
cant cum pacto, ut ſors ſit ſalva, ſeu illius valor, & precium, & anima-
lia ſint periculo conductoris, quod tamen ad locatorem uti dominum
pertinere deberet, & in his caſibus latet uſura.

Et idem cenſendum eſt de locantibus propria animalia revera extan-
tia, ac æſtimata: quæ etiamſi pereant citra culpam, & fraudem condu-
ctoris, volunt tamen, præter annuam penſionem antea perceptam,
dictorum animalium æſtimationem ſibi à conductore perſolvi: quod,
ut patet, omninò iniquiſſimum eſt.

Alii tradunt alteri frumentum, ſeu ſiliginem ſub nomine mutui; ſed
precio ſummę taxato, cum pacto, ut tempore meſſis reſtituatur frumen-
tum novum: uſq; ad quantitatem dicti precii. Qui contractus claudicare
videtur: quia ſi eſt venditio, emptor tenetur ad precium, non autem ad
frumentum: ſi eſt mutuum, debitor tenetur reſtituere frumentum in ea-
dem menſura, & qualitate, & non precium.

Quidam autem credunt alteri pecunias, & conficiunt Inſtrumentum
ſub nomine gratuiti mutui; ſed poſt diſceſſum Notarii, & teſtium, recipi-
unt ex pecunia numerata ſeptẽ, aut decem ex centũ, pro intereſſe antici-
pato, & tñ mutuatarius remanet debitor de tota sũma cõtẽta in Inſtrum.

Aliqui apertas exercentes uſuras mutuant pecunias ad tempus, mo-
dò ſub fide, modò ſub pignore rei mobilis, vel ſtabilis, ad rationem ſeptẽ
pro centum, & pro excuſatione objiciunt conſvetudinẽ regionis, & Cõ-
ſtitutiones Trid. & quia benefacienti naturaliter liceat beneficiũ repen-
di. Quę tamen conſvetudo ab eis introducta, cùm ſit irrationabilis, & di-
vino iuri cõtraria, non excuſat, præſertim in foro poli. nec ſimiliter Cõ-
ſtitutiones; quia nõ loquuntur de mutuo repetibili, ſed de redẽptione an-
nui cenſus pecuniarii, ad rationẽ quinq; pro centũ. Et cùm mutuatio ſit
opus charitatis, debet gratis fieri, & cõferens beneficiũ, non debet plus
accipere, q. ã dedit, nec quæſtũ facere ex neceſſitate alterius. Imò quod
gra-

gravius eſt, plerumq; ex decurſo hujuſmodi intereſſe augent ſortem, & ex uſuris in capitale redactis, alias renovant, & exigunt uſuras, ſub nomine intereſſe.

Propterea his calliditatib⁹ occurrere,& ſubditorũ cõmodis,ac animarũ ſaluti proſpicere volẽtes, ut pro debito paſtoralis nr̃i officii tenemur.

Admonemus im primis omnes Chriſtifideles, ut ab ejuſmodi contractibus, & pactionibus omninò abſtineant, & inerti ocio relicto, honeſtis exercitiis incumbant,nè dùm reprobis artibus lucrum temporale acquirere procurant, proprias animas in æternum amittant.

Et ulterius conſiderãtesNos uſurarũ crimen in hac regione eò uſq;invaluiſſe, ut neminem ferè jàm id cõmittere pudeat; prohibemus omnes, & ſingulos prædictos contractus,tãquam illicitos, fœneratitios, & ſimulatos; Mandantes, nè quis Vſurarium manifeſtum ſive ſit manifeſtus de Iure, ſive de facto, vel quovis alio modo convictus, ad Eccleſiaſticam recipiat ſepulturam, niſi idonea præſtita cautione de uſuris reſtituendis.

Inſuper declaram⁹ omnes,& ſingulos uſurarios ſubjacere debere quibuſcunq; pœnis,& cenſuris Eccleſiaſticis infra deſcribendis,contentis in Conſtitutione Lugdunenſis Concilii, quam ſingulis annis in prima Dominica Quadrageſimæ,per Rectores animarum publicari mandamus,& inviolabiliter obſervari, ultra mulctam pecuniariam marcarum decem, vigintiquinq;quinquaginta,& centum,in pręmiſſaConſtitutione afflictuũ impoſitam. quæ etiam in præmiſſis caſibus locum habeat.

Similiter obſervari mandamus contra omnes uſurarios Statutum ſub cap. 68. lib. primo Civilium.

14 Idcirco omnibus,& quibuſcunq; Iudicibus,potiſſimùm verò Vicario noſtro in Spiritualibus generali diſtrictè injungimus, ut contra Vſurarios, NotariosInſtrumenta ſcribentes,proxenetas,mediatores,conſultores,& alios quoſcunq; qui ejuſmodi contractib⁹ illicitis, quoquo modo interfuerint,auxiliũ, & opẽ præſtiterint,diligenter inquirant, & procedant,ac ultra debitam reſtitutionẽ, cenſuris Eccleſiaſticis,& aliis pœnis,tàm juris Canonici,quã Civilis,& Statutariis, ac præſentis Conſtitutionis omninò coerceant: Alioqui ſi in hoc tàm deteſtabili vitio compeſcendo deſides erunt, indignationis noſtræ pœnam ſciant ſe incurſuros.

Cujus noſtræ ſupradictæ Conſtitutionis,diſpoſitionis,& declarationis

teno-

tenorem, in omnibus locis, qui ſub noſtra Ditione continentur, publicè manifeſtari mandamus.

## CONSTITVT. CONCILII LVGDVNENSIS.

Quanquàm uſurarii manifeſti, de uſuris, quas receperant, ſatis fieri expreſſa quantitate, vel indiſtinctè in ultima voluntate mandaverint: nihilominùs tamen eis Eccleſiaſtica denegetur ſepultura, donec de uſuris ipſis fuerit, prout patiuntur facultates eorum, plenariè ſatisfactum: vel illis, quib' eſt facienda reſtitutio, ſi prȩſtò ſint ipſi, aut aliis, qui poſſint eis acquirere, vel, eis abſentibus loci Ordinario, aut ejus vices gerenti, ſive Rectori Parochiæ, in qua teſtator habitat, corā aliquibus fide dignis de ipſa Parochia: quibus quidē Ordinario, Vicario, aut Rectori, prædicto modo, cautionem hujuſmodi eorum nomine liceat præſentis Conſtitut. auctor. recipere: ita, quòd illis perindè actio acquiratur, ac ſi ſervo publico de ipſius Ordinarii mandato idoneè de reſtitutione facienda ſit cautū. Cæterū ſi receptarū uſurarū ſit quantitas manifeſta, illā ſemper in cautione prædicta exprimi volumus: alioquin aliā recipiens cautionē hujuſmodi arbitrio moderandā, ipſe tamē ſcienter nō minorem, quàm veriſimiliter creditur, moderetur: & ſi ſecùs fecerit, ad ſatisfactionē reſſidui teneatur. Omnes autem Religioſos, & alios, qui manifeſtos uſurarios, contra præſentis ſanctionis formam ad Eccleſiſticam auſi fuerint admittere ſepulturam, pænæ Lateranen. Concilii, contra Vſurarios promulgatæ, ſtatuimus ſubjacere. Nullus manifeſtorum uſurariorum teſtamentis interſit, aut eos ad confeſſionem admittat, ſive ipſos abſolvat, niſi de uſuris ſatisfecerint, vel de ſatisfaciendo pro ſuarum viribus facultatum prȩſtent (ut prȩmittitur) idoneam cautionem. Teſtamenta quoq; manifeſtorum uſurariorū aliter facta, non valeant, ſed ſint irrita ipſo jure.

Dat. Trid. ex Arce noſtra, boni Conſilii die xiii. Ianuarii. 1609.

*Ad mand. Illuſtr. & Rev̄. D.D. Card. Epiſc. Princip. Trid. &c. pr.*

*Petrus Alexandrinus de Neuſtain Cancell.*

GRA-

# GRAVAMINA

## PROPOSITA PER MAG. D. D. CONSS. CIVITATIS

adverſùs novam Formam Conſtituendi cenſus, ſive affictus in Epiſcopatu Tridentino.

¶ 1. Fructifera de ſui natura, & apta ad reddendum affictum, & paulò inferiùs, fructifera, & capax ad illius cenſus ſolutionem.

PRIMO pare aggravio, che per detta Conſtitutione ſia eſcluſa l'antica conſvetudine, & uſanza approvata di poter conſtituir cenſi ſopra le caſe, il che però da molti Summiſti viene admeſſo, & tollerato; & anco in ſe è raggionevole; poiche occorrerà, che molti poveri Cittadini, & Artigiani ritrovandoſi quella ſol caſa, con la commodità di poter conſtituir ſopra cenſo, cavaranno danari da porſi à traffico tale, che ſarà cauſa in buona parte di ſoſtentar la famiglia loro. Et nondimeno non ſaranno privi d'habitarla; coſa, che non haverebbero, quando aſtretti à venderla, doveſſero privarſi di quella, & del ſolito, che lor cauſa la commodità del traffico, & conſeguentemente l'utile, & guadagno.

¶ 2. Quæ ſolùm maneant obligata ſolutioni cenſus, non autem alia ipſius venditoris bona, niſi ratione evictionis, & ad ſecuritatem rei.

SEcundo, ſe conſidèra, che, ſtante queſte Conſtitutioni, il Padrone del cenſo volendo conſeguir l'annual ſuo fitto, ſarebbe sforzato con grave ſuo ſcommodo, & diſturbo (non potendo proceder contra altri beni per non eſſer ſottopoſti ad obligo, ſe non per l'evittione) far pi-

gnorar l'affittalino ogn'anno ſopra le frute del luogo obligato, il che manco potrebbe fare, eſſendo notorio, che nel tempo ſolito delle ſcoſſide de cenſi, ſono, non ſolo di già raccolte tutte l'entrade, mà etiandio in buona parte conſumate. Donque per valerſi del ſuo, doverebbe neceſſariamente procedere alla ſubhaſtatione di parte del luogo obligato. Onde oltra li gravi litigii, ſpeſe, e travagli auverrebbe, che in puoco tempo la proprietade, & fondamento del cenſo reſtarebbono eſtinte à evidente, & enormiſſimo danno d'incauti compratori; confidando perciò, che ſarà proviſto, permettendo, che reſti sì l'hypotheca ſpeciale nel luogo, ove ſarà fondato l'affitto, sì anco la generale ſopra li altri beni del venditore, non ſolo per l'evitione, mantenimento, & validezza totale del contratto, mà anco per l'annual intereſſe, & frutti correnti, ſpeſe, & danni; che per conſeguir quelli vengono patiti da i Padroni.

¶ 3. Valeat tantùm, quantùm capitale affictus, & tertium de pluri.

TErtiò, Vedendo, che oggidì li ſtabili, & poſſeſſioni ſono in prezzo tale, che à voler conſtituir l'affitto ſopra'l valor del capitale col terzo di più, ſenza dubio il fondo non ſarà atto, ne capace, à render il 7. per cento, detratte le ſpeſe, e parte colonica; Onde ſi deve conchiudere, che per eſſe Conſtitutioni più toſto ſono conſtituiti li cenſi ſopra le fatiche del povero Contadino, che ſopra'l fondo; non eſſendo quello atto per ſe alla rendita di tre, overo quatro per cento, contra l'eſpreſſa mente, & parola della Bolla; Onde ſi deſidera, che foſſe lecito conſtituirli ſopra tal quantità, che ſia atta à render frutto equivalente all'intereſſe del capitale sborſato: tanto più ch'in eſſe Conſtit. vię ſtatuito, che ſe in parte ſi faceſſe infruttuoſo 'l fondo, ciò ſii anco in pregiudicio del Padrone del cenſo, havendo in ciò riſguardo alli frutti, & non al capitale, & valor del fondo.

¶ 4. Deindè verò integrali pretio in pecunia numerata, non confeſſionata, aut, quod dicitur, antecipata.

QVartò, Par non leggiero aggravio, atteſa la ſtrettezza del denaro, & del paeſe, non poter almeno con legitimo, & liquido credito, &

con il valor vero, & real di robba cõſtituir il cenſo; il che non ſolo per il paſſato è ſtato sẽpre oſſervato; mà anco da Dottori in materia de cenſi in termine della Bolla admeſso, & tollerato, maſſime potẽdoſi (per oviare alle fraudi) ritrovare ſtrada, & mezo, che in caſo de far Cõſtit. de cenſi in queſta guiſa, ſi debba dal Giudice interponere il Decr. cauſa cognita.

¶ 5. Ad hæc ſi res periret in parte, vel in totutm efficeretur infructuoſa caſu tamen fortuito.

QVintò; Ne queſta Conſtitutione par eſſer ſenza aggravio conſiderabile, per le chiare regole in jure, & opinione de Scriventi, che vogliono, che poſſi liberarſi l'emphiteuta, ò livellario in tutto, e non in parte; altrimente s'il fondo non periſſe in tutto, e non in parte, non eſſendo convenevole, che'l livellario giochi al ſicuro. Et in ciò il livellario, & cenſuario convengono inſieme probabilmente. Et meno può ſtar l'altra, che ſe la coſa in tutto, overo in parte fortuitamente ſi faceſſe infruttuoſa, parimente debba ceſſar il cenſo pro rata al compratore. Concioſiache quindi ſi cauſarebbe ſenza dubio introduttione nuova di liti infinite, & immortali; Poiche la maggior parte de cenſuari per porre intrico, & ſotterfuggere i pagamenti de cenſi uſand' ogni cautela, & aſtutia, s'opporrebber'à i Patroni, cõ dire di non haver cavato dal fondo obligato frutto baſtevole alla reintegratione dell'affitto, per ſiccità, freddi, geli, copia ſoprabondante d'acque, tempeſte, & altri ſimili accidenti, aſcrivendo il tutto (ancorche foſſe più preſto per diffetto, & colpa ſua, ch'altrimente) bẽche indebitamẽte, in tutti li accidenti accẽnati per ſcudo di quella general parola: infruttoſa, sẽza farne la raggionevole diſtintione, pretendẽdone perciò riſtoro, ò remiſſione. Nelche quali litigii auverrebbero? quai ſpeſe? quai travagli? ciaſcũ può giudicare, ſe nõ voleſſe il Padrõ del cẽſo del continuo far cuſtodire le frue, & aſſiſter al raccolto di quelle, come ſe del loco, ne foſſe egli aſſolutamente Padron; ilche gli ſarebbe di troppo grave ſcommodo, e danno; Et quando in tempo d'infruttuoſità ſi doveſſe permetter riſtoro all'affittalini, portarebbe l'honeſto, che li Padroni parimente in tempo di fertilità ſentiſſero riſtoro, e reintegratione de dãni patiti; acciò concorreſſe trà di loro parità nel bene, & nel male, per le

tritte regole in jure; meglio ſia dunq; per iſchivar queſti,& altri diſturbi, & travagli, che reſti preſſo gl'affittalini incommodo, & commodo. Che s'il fondo gli apportarà frutti in quantità, e di gran prezzo, il tutto cede à beneficio ſuo,& ſe per contrario, n'habbi patienza,& nell'uno,& nell'altro caſo ringracii il Signore.

¶ *6.* Quòd ſi dolo, vel culpa venditoris id contigiſse probatum fuerit, is teneatur pretium cenſus reſtituere.

SEſto; Si duole, che conſiderandoſi la malitia dell'affittalino nel peggiorar il fondo, & luogo ſoggetto all'affitto, ſe gli laſci in libertà, ſe per eſse parole come per raggion commune ſopra quelle fondata di potere, overo reſtituire il danaro, overo fondar l'affitto ſopra altri beni, dovendo per ogni ragion in pena de fraude cōmeſsa ſolo eſser in libertà del Patron del cenſo, over di repeter il danaro, over far quello conſtituire ſopra altri beni; poiche altrimente facendo il Contadino, che nelli tēpi preſenti è molto ſagace,& accorto potrà trovar mille occaſioni (dãneggiando il luogo) di rimover l'affitto d'un luogo, & riporlo nell' altro.

¶ 7. Si autem Dominus rei cenſuariæ illam vendere voluerit.

SEttimo; Che venendo'l caſo che l'Affittalino in fatto, avanti li quindeci giorni ſtatuiti à deliberare al Padrone del cenſo, overo avanti la denontia alienaſse il fondo ſoggiogato, non ſia per qualche clauſula annullativa, overo legale impediente la translatione del dominio proviſto, à fine, che volendo il Padrone haver il fondo non ſii aſtretto à porſi in lite, & intentar un giuditio ordinario, potendogli eſſer ſoccorſo con un ſummario poſſeſſorio eſſecutivo.

¶ 8. Declarantes bona ob canonem non ſolutum devoluta. Alii ob affictus per triennium non ſolventes agunt ad devolutionem.

OTtavo; Pajono notabilmente gravatorie le ſudette Conſtitutioni, perche in eſſe non ſolo ſi concede patto alli cenſuali di redimer il

fondo

fondo devoluto dopò li trè mandati,alterandoſi in ciò gl'Ordini,& Conſtitutioni già da paſſati Statuenti in queſta materia introdotti; quali è da credere,che habbino molto ben peſato,& conſiderato queſto negotio,& perciò,per raggione probabile meno,habbino conceſso patto alcuno da redimere, dovendoſi vedere,che li Cenſuarii puoco ſi curarebbono di pagar il Cenſo,mà il tutto con varie cavillationi, & oſtacoli ingiuſti, & illeciti ſotterfugẽdo i pagamenti,laſciarebbono ſcorrer alla peggio, giovando loro, in caſo de divolutione haver il patto di redimer; mà anco ſi concede perpetuo,e non à tempo limitato, che ſe pure ſi voleva conceder queſto patto ( ancorche gravatorio ) poteva ſcorrere, quando s'haveſſe conceſſo conforme lo ſtile,&Conſtitutione delle ſubhaſtationi;ne' quali da Ragneſi cento in giù, li debitori hanno patto da redimer la coſa ſubhaſtata di mez'ãno,& da detta ſumma in sù,ſia quanto ſi voglia,d'un' anno intiero,& non oltra. Venendo in ciò parimente alterati li Statuti di queſta Città in materia de preſcrittioni,& anco le leggi communi,da cui vien admeſſa la preſcrittione, anco cõtra laChieſa Romana, ne'ſuoi caſi; oltra che reſtando il dominio del fondo in dubio, & incerto, ſi cauſarà, che'l più delle volte ſarãno,overo dal Padrone,overo d'altri laſciati deſerti li Luoghi,& Poſſeſſioni devolute; & di più per nõ laſciar venir queſto caſo,ſi cauſaranno aſperità contro poveri Fittalini, che pure nel termine di trè anni,over nel fine potriano ritrovar danari per pagare gl' affitti incorſi, & ſollevarſi dalla devolutione. Aggiongendoſi,che gli Affittalini,in cui pregiudicio occorrerà la devolutione,habbino non ſolo il patto ſodetto perpetuo de reſcottere la coſa devoluta; mà anco agievolezza di far ciò con il sborſar ſolo la ſorte con l'incorſi, & ſpeſe, nel che vien ad' eſſere levato al creditore anco quel poco beneficio del terzo di più,che ſi dava dalle paſſateConſtitutioni,nel qual però venivano computati gli affitti incorſi triennali.Quindi reſultarà,che all'Affittalini molte volte tornerà à conto di non curarſi delle devolutioni, potendo rihaver il fondo devoluto,&à beneplacito ſuo,& in tẽpo forſi di maggior rẽdita,prezzo,& ſtima, ſenza ſottogiacere à pena alcuna, mà ſolo pagando ( come s'è detto ) la ſorte incorſa,& ſpeſe à evidente dãno ſolo de creditori.Reſtando oltra di ciò notabil aggravio,che nell'affitti ordinarii, nõ s'admette la devolutione, mà ſolo nelli contratti emphitheotici,& quelli

ch'hãno preambula,&Vera venditione,contra l'ordine di Statuenti paſſati, quali in queſta materia non fanno diſtintione, ò differenza alcuna trà quelli, e queſti,mà tutti indifferentemente comprẽdon ſotto'l capitolo. Item quod in caſu devolutionis; & ſi deve conchiudere certamente, ch'anco ne i Cenſi ordinarii ſi faccia translattione del dominio diretto per l'antico ſtile, & approvata oſſervanza di queſto Paeſe praticata univerſalmente ne i contratti,Inſtromenti publici di conſtitutioni,& ceſſioni d'affitti ordinarii, ove ſpecificatamente quella ſi ſcopre in quelle parole,dediti vendidit,ceſſit,tranſtulit unum affictum unà cum proprietate, & directo dominio, unde ſolvitur; & anco in altre clauſule ſolite di tali Inſtrumenti,che ſe non ſi transferiſſe il dominio diretto, ſi dourebbe dire più toſto obligo perſonale,e reale inſieme,ſecondo l'opinion de Dottori; E perciò ne i cenſi ordinarii ancora deve havere luogo la pena del commeſſo, & conſolidatione del dominio utile col diretto; La quale tanto più viene à eſſer admiſſibile, quanto, che già dalle paſſate Conſtitutioni raggionevolmente fù introdotta à terrore delli Affittalini, acciò che più facilmente pagaſſero li cenſi,& ſucceſſivamente à beneficio loro, & de creditori inſieme, & doppo, che ſono ſtate fatte eſſe Conſtitutioni paſſate, quante devolutioni ſono mai occorſe? certo puoche, perciòche ciaſcun Affittalino, benche debole, volendo però pur nel termine d' anni trè (come s' è detto di ſopra) haver tempo, & commodità de far danari per pagar li reſtanti, ſenza caſcar nella devolutione ſodetta; quale ſe non foſſe, in vero li padroni de cenſi ſarebbono à guiſa dalli Affittalini ſtruſciati ne i pagamẽti, che di raro, ò non mai reſtarebbono da quelli compitamente ſodisfatti. Et perciò niuno, ò puochi ſi ritrovarebbono, che ſotto queſta Conſtitutione (ritrovandoſi puochi parimente hoggidì ch' ancor ſotto le paſſate vogliono cõprar fitti, così difficili ſono di ſcuoterſi, e mantenerli,come è notorio) vogliono far ſimili acquiſti de cenſi, & affitti: Il che redondarà finalmente tutto à danno, & rovina de poveri Contadini,che ne i lor biſogni gli ſovenghi, ſe non alienando totalmente le proprie ſoſtanze; tanto più ſentendoſi gravata queſta Città,che per eſſa dichiaratione viene non ſolo datto legge alli cenſi futuri; mà anco alli paſſati;quali eſſendo ſtati fondati da Padroni, mentre v' era una forma di conſtitutioni diverſa dalla preſente, nondimeno eſſer ſottopoſti

(altri-

(altrimente ſarebbe notabiliſſimo daño,& univerſal pregiudicio di queſto Paeſe) à queſte novamente publicate, mà reſtar ſolo ſotto le paſſate, in quei ſteſſi termini, modo, via, & forma, ne' quali fin quì ſono ſtate praticate, & oſſervate ſenz' alteratione alcuna, ch' attion ſeguita nanzi à chiara prova ſottogiacer non deve à legge nuova. Dovendoſi, e potendoſi reſtringere eſſa dichiaratione ſolo à cenſi futuri, & non à paſſati.

¶ 9. Nempe ut principales contra prædictam formam affictus coſtituentes, pro ſingulo affictu.

Et Notarii eos ſcribentes.

Teſtes quoque, & Proxenetę tanquam participes.

NOno. Ci preme non ſolo la gravità delle pene, dovendo baſtar le Statutarie, & legali; mà anco che indifferentemẽte li Notari, teſtimoni, & cenſali à quelle ſoggiaciono; potendo occorrer (come occorrono) caſi che non ſolo li teſtimoni, e ſenſari, che per il più ſono perſone idiote; mà anco li Notari, Dottori, & perſone capaci non ſappino conoſcer la qualità delli caſi, & varietà de contratti, & paliate uſure, ſolo con grande conſideratione, & ſtudio, & fatica. Oltra che eſſendo per li Statuti di qveſta Città al Cap. 68. in Civilibus, & legal intelligenza de Dottori, & in vero con raggione, applicata la pena, che ad Vſurari ſi leva alla parte, in ſolevatione del daño patito, quella venghi hora levata, ſperando ch' in ciò meno verrà pregiudicato in conto alcuno à eſſi Statuti.

¶ 10. Quidam enim ab indigentibus emunt fundum.

DEcimo. Che per la generalità delle parole habbia ad eſſer prohibito (ceſſando le fraudi narrate in detto capit.) il comprar il fondo, & poſcia incontinente il relocarlo al venditore per temporale, over perpetual affitto, & livello. Ilche come uſitato da tempo, che non vi è memoria in contrario, & admeſſo dalle paſſate Conſtitutioni in queſto diſtretto, non conviene ch' hora ſia indifferentemente prohibito, maſſime

potendo, & dovendo li contrafacienti eſſer penitentiati in foro poli; & quelli anco potendoſi in caſo di fraude, e di malitia caſtigare ſenza ſimili prohibitioni in foro fori di pene ſtatutarie, & legali cominate in altre Conſtitutioni.

¶ 11. Nonnulli conſueverunt emere annuos reditus, ſeu cenſus pro pretio.

VNdecimo. Che dovendo eſſer la legge chiara, ſii nella generalità delle ſodette, & ſeguenti parole prohibito il comprar il cenſo già conſtituito d'altri, con il patto, del quale ſi fà mentione; non potendoſi conſiderar fraude, inganno, ò malitia; ne meno ritrovandoſi ciò eſſer vietato per qual ſi voglia legge Canonica, overo civile; perciò ſarà neceſſario, nel preſente ſopraſcritto capo dichiararſi talmente, che contra la mente non ſii reſtretto il commercio, & contrattar trà le perſone.

¶ 12. Alii è converſo vendunt vina, grana, & alias merces cariùs, quàm omninò valeant tempore contractus, ob datam emptoribus dilationem ad ſolvendum.

DVodecimo. Si pone per reverente ricordo, che ſi reſta con grandiſſimo dubio, che per non eſſer preſcritto modo, & meta à quelli, che danno in credenza, di qualche lecito, & honeſto guadagno, qual anco in foro cōſcientiæ ſi ſuol admettere, conſiderata la qualità delle perſone in caſo di penurie, & careſtie, li poveri Contadini non trovarãno robbe in credenza; ilche cauſarà loro, che dovendo alienare li ſtabili, viverãno in cōtinua miſeria con le famiglie loro: Onde gli Gentil' huomini, & Cittadini non ritrovarãno ſecurezza ne' Contadini di poter locar li ſuoi maſi.

¶ 13. Quidã alio genere fraudis utuntur, &c. quod tamen ad locatorem.

TErzodecimo. Che ſii giudicata uſura, s' il Padrone nel locar, ò affittar un ſuo maſo, overo poſſeſſione, con eſſi parimente cōſegnaſſe al conduttore alcuni animali ſtimati, de quali valendoſi egli ne ſuoi biſo-

biſogni, per la vechiaja, overo diffetto naturale moriſſero; ſolo il Padrone habbia da ſentir il danno, volendo ogni honeſta raggione, che ponendovi il Padrone il capitale, & il conduttore la fatica, à quello reſti il capitale ſicuro, & à queſto la metà de nodrumi; overo almeno, che ſi come il conduttore ne cava la metà del frutto, & non del ſuo, mà di quel del Padrone gli nutriſſe, e ſoſtenta, ch'ancor eſſo almeno per la metà concorreſſe nella perdita fatta dell'animali. Et però ſi giudica, che ſarebbe meglio, poſpoſta ſimil prohibitione, fargli ordine, e preſcriverſi modo di fare ſoccide d'animali, quale ſi ſominiſtrarà d'approvarſi, à fine che, per la ſodetta inhibitione generale, non ſia cauſato danno à poveri Contadini, che altrimenti non ritrovaranno ſoccorſo così facilmente in ſimili biſogni.

¶ 14. Id circo omnibus, & quibuſcunq; Iudicibus, potiſſimùm vero Vicario noſtro in Spiritualibus.

Finalmente ſi reputa notabil, e praticabil aggravio, che l'Officio Spirituale, preſa quindi occaſione, vogli non ſolo conoſcere le cauſe mere Spirituali; mà anco le Laicali in termine di leſione, errore di calcoli, conti di partide, & ſimili, & quelle avocare da Giudici Secolari; il che vien à cauſar gravame notabile, non ſolo per particolari, per le ſpeſe eccceſſive, ch'occorrono; mà anco generale, sì alla Città, & Podeſtaria, sì anco alla temporal Giuriſdittione di queſto Veſcovado; levandoſi in queſta maniera l'appellationi, & riccorſi; & quelle introducendoſi avanti il Metropolitano.

Al che ſi ſpera, che ſarà proviſto, & oviato.

# DECRETA,

## SIVE RESPONSIONES AD SINGVLA CAPITA gravaminum propoſitorum per Mag. DD. Conſ.

### Ad Primum.

NON prohibet Conſtit. cenſus ſuper domibus; quia inter res fructiferas cenſetur, dummodò in illius æſtimatione habeatur ratio ad id, quod locari poteſt, juxta infra declarata ad tertium Caput.

### Ad Secundum.

Non eſt reſtricta facultas conſequendi cenſus non ſolutos ſuper aliis bonis ſtabilibus, quàm mobilibus ipſius conſtituentis cenſum; ſed hypotheca reſtringitur, ut in Conſtitutione, ſuper re certis finibus deſignata ratione capitalis, & ſi alia bona per cenſuarium poſſiderentur, conſulere ſibi dominus poterit, abſque diminutione fundi obligati, per dimiſſionem ex Saluiano interdicto in retro hypotecatam, tandiù retinendam, donec de fructibus fuerit ei integrè ſatisfactum, & ideò vana eſt propoſita ſpeculatio.

### Ad Tertium.

Quia fundus verè non emitur; ſed jus percipiendi annuum cenſum, æſtimatio facienda erit, non habita ratione pretii fundi, ſed juris exigendi illum ānuum cenſum, qui verè emitur, & proindè juſtum pretium erit, deſignando, & obligando tantam quantitatem fundi, de qua percipi poſſit cenſus, qui ſolvi promittitur, ex quibus ceſſat dubium propoſitum.

### Ad Quartum.

Licèt in foro conſcientiæ in caſibus ſinceris compenſatio fieri poſſit, tamen in foro fori indiſtinctè ad tollendas palliatas fraudes, quæ ut plu-

plurimùm fieri ſolent, non admittitur, & ſi secùs determinaretur, contrariaretur Bullæ Summi Pontificis, quę ubiq; Terrarum ſervari debet.

Ad Quintum.

Malè conqueritur; quia fundus non dicitur fieri infructuoſus ratione grandinis, pruinæ, vel ſiccitatis; ſed ex aliis caſibus, quibus fundus ipſe perit in totum, vel in partem, nec benè infertur de emphyteuſi ad cenſum; quia, ut notorium eſt, differunt.

Ad Sextum.

Per illa verba non gravantur Domini cenſus, & fraudibus, ſi opus erit, aliis etiam opportunis remediis, & modis occurretur.

Ad Septimum.

Non eſt prohibitum contrahentibus adjicere in inſtrumento opportunas clauſulas ad corroborationem eorum, quæ in Conſtitutione conceduntur.

Ad Octavum.

Pactū redimendi eſt de ſubſtantialibus cenſus, adeò quòd, illa pactione ſublata, contractus haberet vim mutui, & eſset uſurarius, contra quem nulla cadit præſcriptio legis communis, nec municipalis, aut pacto, vel conſvetudine induci poteſt, nec potuit, quę uti corruptela nil in eſse poſuit, ut etiam dictum eſt in Conſtitutione ſub §. alii ob afflictus per triennium. Propterea non admiſſibilia petuntur, prout malè conqueruntur Conſtitutionem extendi ad præteritos cenſus; quia aliter ex ejuſdem lectura conſtat.

Ad Nonum.

Nihil derogatur Statuto Capit. 68. quod firmum manet reſpectu pœnæ parti applicandæ; ſed diſponitur de pœna Fiſco debita, in qua arbitranda

tranda Iudices diſcretè, & moderatè, habita ratione qualitatis, caſuum, & perſonarum, procedant.

Ad Decimum.

Non prohibetur ſincera fundi emptio, & ejuſdem non ſimulata locatio, ſub penſione correſpondente fructibus de jure permiſsa.

Ad Decimum primum.

Superflua, & minùs neceſsaria declaratio petitur, cùm ſatis rectè intuentibus Conſtitutionem pateat, in ipſa fieri diſpoſitionem de creandis cenſibus, & non de emendis jam creatis.

Ad Decimum ſecundum.

Notetur verbum omninò, quo excluditur nimius exceſsus, & non honeſtus, & licitus, & ceſsabit dubium.

Ad Decimum tertium.

Caveãt à prohibitis in preſenti Conſtitutione; cœterùm modus conſtituendi ſocidas licitas à legibus ſatis præſcribitur.

Ad Vltimum.

Cauſæ non ſpectantes ad Forum Spirituale, remittantur ad Iudicem Sæcularem, prout ita mens fuit, & eſt Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Domini.

QVÆ-

# QVÆSITA FACTA

## PER NOTARIOS IVDICARIARVM: SVPER FORMA noviſſimè edita Conſtituendi Cenſus ſuper Primo capite incipiente, quatenus deinceps Cenſus.

¶ Præſupponendo, quòd conſtituatur affictus, ſive cenſus capitalis Rhenen. centum.

PRIMO; Quæritur, an tertium de pluri, de quo ſit mentio in dicta forma debeat eſſe Rhenen. 33. & car. 20. an quinquaginta, & ſic petia terræ, ſuper qua dictus cenſus fuerit conſtitutus, debeat eſſe valoris dictorum Rhenen 133, gr 20. an 150. an aliter?

Secundò; An dicta petia terræ debeat æſtimari per probos Viros, & quatenus debeat ita æſtimari? An dicti probi Viri poſſint eligi à partib', vel à Iudice, & à quo Iudice? Et an dicta res poſſit æſtimari per contrahentes?

Tertiò, Præſuppoſito, quòd dicta res fuerit æſtimata juxta dictam formam; videlicèt æquo, & juſto pretio, & quòd tamen ex ea non perciperentur tot fructus, ex quibus dictus affictus, ſive cenſus juxta tenorem Conſtitutionum, ac earum moderationem poſſet ſolvi integrè, & ſic non eſſet capax ad illius ſolutionem; poterit ne accipi ex alia petia terræ in majore quantitate pretii ſupradicti, limitati in prædicta forma, ſeu ex prædicta, ſi eſſet majoris pretii? Et pro quanta quantitate ad hoc, ut ſi capax ad ſolutionem dicti cenſus juxta dictam formam?

Quartò; Vlterius quæritur, ſi pretium liquidatum, ſeu limitatum petiæ terræ, ſuper qua fuerit conſtitutus cenſus, decreverit pro medietate, ſive plùs, vel minùs, & Cenſuarius vellet ipſam Domino dicti cenſus renunciare, & ampliùs dicto cenſui non ſubjacere; an Dominus dicti cenſus tenebitur eam acceptare minoris valoris, & pretii capitalis, & affictuum retentorum, & ſic de dicto capitali cenſus, & affictibus occurſis amittere? Stante, quòd ſi pretium dictæ rei creverit, Dñs cenſus à Cenſuario invito eam habere non poterit; & ita in hoc caſu, Dominus cenſus eſſet pejoris

con-

conditionis,quàm ipſe cenſuarius, quod non videtur juri cōſentaneum.

Quintò item; an in Inſtrumento conſtitutionis affictus tritici, & vini graſpati,licèt celebretur in quolibet menſe anni, debeat poni, & ſcribi, quòd dictus affictus debeat dari, & ſolvi per cenſuarium Domino ſingulis annis intra octavam S. Michaelis, reſpectu tritici, reſpectu verò vini graſpati,in vindemia proxima, prout ante hac fuit obſervatum, & ſi ita fieri non debeat, quid in hoc fieri, & obſervari debeat?

Sextò item, an cenſuarius pro majori cautione, & ſecuritate Domini, debeat jurare,rem,ſuper qua conſtituit cenſum, eſſe ſuam liberam,& expeditam, & nulli alii obligatam,ſaltem pro quanto ipſe ſciat.

Super Secundo incipiente: deindè verò integrali pretio.

Septimò, Præſupponendo, quòd emptor affictus, ſive cenſus,contraheret cum ſuo debitore liquido,& claro,ex cauſa legitima,& ſolveret eidem venditori, ſive cenſuario in præſentia Notarii,& teſtium, pretiū capitalis affictus conſtituti juxta dictam formam; An creditor poſſit expedito negotio in præſentia dicti Notarii, & teſtium,recipere ex dictis pecuniis à dicto cenſuario,& debitore volente ſatisfacere dicto ſuo debito, & quatenus non poſſet recipere eo momento, ideſt expedito dicto negotio à dicto debitore,quando poſſit,& ſi nunquā ex dictis pecuniis poſſet recipere inſolutum,ex qua cauſa hoc à jure reprobatur? & quid in dicto caſu agendum ſit,ut dictus creditor conſequatur à dicto Affittalino, & debitore creditum ſuum liquidum ut ſupra dictum fuit, & de quo non eſt aliqua inter cotrahentes controverſia?

Octavò itē, ſi Titius volet cedere Seio affictum, quem ipſe à Sempronio emit; an ipſe Seius inſolutum pro dicto affictu mobilia, & ſe moventia dare poterit? & ſi poterit,cur non poterit etiam dare in emendo ſimilē affictū,ut in prædicta ceſſione,& caſu quo mobilia,ac ſe moventia in ceſſione dicti affictus, dari non poſſent, & quod dominus dicti affictus (ut quotidie occurrit) ob neceſſitatē propriam,talem affictum vendere, aut cedere cogatur,& non inveniat promptā pecuniam, quid agere debeat?

Nonò item, an per dictam formam cenſuarius tenebitur (prout antehac obſervatum fuit) ſolvere mercedes Inſtrumenti conſtitut. dicti affictus? & an in dicto Inſtrumento id licitè Notarius ſcribere poterit de voluntate contrahentiū,prout pariter antehac obſervatum fuit? cùm id in

dicta

dicta forma non videatur prohibitum in contractibus cenſuum.

Decimò, Itē an Notarius, qui eſt confecturus Inſtrumentū ſuper dicto affictu, & teſtes debeant continuè intereſſe ad videndū fieri, & obſervari contenta in aliquibus ex ſupraſcriptis capitulis, &, quatenùs debeant intereſse, ad quæ debeant, an verò ſufficiat, quòd ſint præſentes publicationi Inſtrumenti, prout ante hac obſervatum fuit.

Super quibus omnibus, & ſingulis quæſitis

Quæritur, quid agendum ſit?nè contrahentes, Notarius, & teſtes incidiant in pœnas contentas in dicta forma.

# RESCRIPTA

## Ad dicta quæſita facta per Notarios Iudicariarum.

### Ad Primum.

Tertium capitalis Rhen. centum in pręſenti propoſito ſunt Rhen. 33. car. 30. & non quinquaginta, qui efficiunt dimidium capitalis prædicti, & petiæ terræ, ſuper qua conſtituendus erit talis cenſus debebit ad minimum valere 133. car. 20. & reddere fructus ſufficientes ad ſolutionem cenſus, ut in tertio capitulo infrà declarabitur, licèt poſſit etiam valere de pluri in modico exceſſu.

### Ad Secundum.

Non eſt neceſſaria æſtimatio, quotieſcunq; ſciunt contrahentes verum pretium, & illius in creatione cenſus habeatur debita ratio, & in caſu quo partibus non liqueat de valore, æſtimatio poterit fieri omni meliori modo contrahentibus bene viſo; dum̃odo ſincere fiat, & abſque fraude, & dolo.

Ad Ter-

## Ad Tertium.

In æſtimando valore bonorũ, ſuper quibus conſtituendus eſt cenſus, attendendum eſt potiſſimùm ad pretiũ, quo ipſa bona venundari, & cõmuniter æſtimari poſſent, & quos redditus, & fructus quotannis afferant; nam ſi fundus valuerit quingentis florenis, & redderet ſolũmodò fruges valoris Rhen. 14. non debebit in ęſtimatione facienda ad hunc effectum appretiari ultra Rhenen. 200. & ita intelligitur illa clauſula in Conſtitutionibus, quod res cenſualis ſit apta ad reddendum affictum.

## Ad Quartum,

Valor rei cenſuariæ attenditur, & æſtimatur tempore, quo conſtituitur cenſus, & ſi poſtea auctus, vel diminutus fuerit, exinde nullum Domino oritur præjudicium; reliqua declarata ſunt à jure communi.

## Ad Quintum.

Quamvis paciſci liceat inter contrahentes, ut ſolutio affictus fiat tempore eis benèviſo, dũmodò annus integrè expleatur; tamen magis congruum, & conveniens eſt, ut affictus tritici, & vini graſpati, cùm poſſint à Dominis prætendi in ſpecie, ſolvantur tempore, quo prædictæ fruges ſolvendæ extant.

## Ad Sextum.

Non eſt neceſſarium jusjurandum.

## Ad Septimum.

Non prohibetur cenſuarius diſtrahere pecuniam receptam pro venditione cenſus in exolutionem æris alieni, & in alios ejus uſus, dummodò ſponte id faciat, nulla præcedente, aut ſubſequente, ad id coactus, conventione, aut obligatione, idque fiat poſt perfectum contractum.

Ad

### Ad Octavum.

In conſtitutione cenſus debet intervenire realis numeratio, & ſolutio pecuniæ, ſecùs in ceſſione, aut venditione cenſus jam conſtituti, in qua dari poterunt aliæ res, quàm pecuniæ, juxta conventa.

### Ad Nonum.

Cenſuarius de jure non poteſt gravari ad ſolutionem mercedis inſtrumenti.

### AD Decimum.

Facta publicatione, & ſtipulatione inſtrumenti partibus præſentibus, non eſt ulteriùs neceſſaria Notarii præſentia, & Teſtium.

# ALIA QVÆSITA

## Facta per Notarios Iudicariarum.

PRimò; Quæritur, an verba illa, tempore ſolutionis, poſita in declaratione clauſulæ, ( poſſint tamen creditores, ) intelligantur, & intelligi debeant tẽpore S. Michaelis, quo tẽpore cenſuarii tenentur ſolvere affictum, ſeu intereſſe, vel tempore, quo effectualiter fit ſolutio?

Secundò; Quæritur, an cenſuarii tempore affrancationis, & liberationis affictus, ſive cenſus, teneantur, & debeant ſolvere mercedes inſtrumentorum conſtitutionis dicti affictus añ formam hanc noviſſimam celebratorum, prout & añ. hoc fuit obſervatum, cùm ſint ex conventione, & pacto expreſſo obligati.

Tertiò; An dicti cenſuarii teneantur, & debeant tempore affrancationis affictus conſtituti poſt noviſſimas Conſtitutiones ſolvere ſaltem pactum retrovendendi, cùm ſint propria jura ſua.

## RESCRIPTA AD DICTA QVÆSITA FACTA Per dictos Notarios.

AD Primum; Ita intelliguntur verba, ut attendatur tempus quo ſit per mandatum à creditore cenſus ſpecialis interpellatio,& declaratio ipſum velle ſolutionem in ſpecie,non autem in pecunia.

Ad ſecundum, & Tertium: Mercedes Notariorum ſunt ſolvendæ per emptorem cenſus, cujus gratia ſit inſtrumentum, prout jura diſponunt, quibus per noviſſimam Conſtitutionem nihil additum fuit, ſed quod fieri debuit, ac debet, ad tollendos abuſus, declaratum; & idem intelligatur de exigua mercede pacti, cùm pactum ipſum ſit acceſſorium, & de ſumma eſſentia contractus; prout è converſo venditor cenſus tenebitur integras ſolvere mercedes inſtrumenti liberationis, quia ſit in ipſius favorem.

Sig. 17. Aprilis 1612.

## LAUS DEO.

CON-

# CONSTITVTIO NOVA

## SVPER DISSOLVTIONE CENSVS.

Quomodo ſcil. & quando in alia ſpecie, quàm in pecunia numerata, invito Domino cenſus, illius redemptio fieri debeat, & poſſit

## CAROLUS EMAN: MADRUTIUS

Dei gratia Epiſcopus Princepſq; Tridenti, &c.

Licèt in cenſus redemptione pretium Dño cenſuali contradicenti, in alia ſpecie, quàm in pecunia numerata alioquin reſtitui nequeat; ſæpiùs tamen contingere rerum magiſter uſus teſtatur, quòd, juſta neceſſitatis cauſa impellente, potiſſimùm verò ubi debitoris inopia, vel hæreditatis aditio cum benef. l. & invent. facta, Iudicariæ ſeparationi, ſeu bonorum diſcuſſioni inter concurrentes Creditores locum aperit, ille volens, nolens, adversùs Cenſualis contractus naturam, cogatur vel prædia cenſita, vel alia debitoris bona, etiam in ſortis cenſualis extinctionem, in ſolutum accipere pro æſtimatione à peritis facta: Qua in re plures indebitè ſe gravari conqueruntur, dum illa non ex fructuum quantitate (quos in hac regione Cenſuales conventiones ex Antéceſſorum noſtrorum Conſtitutionibus, in ratione ſeptem pro centum producere ſolent) ſed ex quodam cõmerciorum abuſu deſumitur, itaut qui redditum annuum florenorum ſeptem pro centum ab initio adepti fuerant, vix tres, vel quattuor ex bonis poſtmodùm in ſolutum acceptis in fructibus percipiant. Idcirco Subditorum noſtrorum cõmodo, & cujuſq; idemnitati proſpicere volentes, Anteceſſorum noſtrorum placito inhærentes, qui in Conſtitutione Cenſus ineunda illud juſtum pretium eſſe decreverunt, cui fructuum ex fundo cenſito percipiendorum modus reſpondeat, jubemus, & ſtatuimus, eandem æſtimationis normam in cẽſus quoq; diſſolutione obſervari; proindèq; deinceps ubicunq; ſupervenientis neceſſitatis cauſa Cenſuales creditores compulerit ad reſtitutionem ſortis in alia ſpecie, quàm in pecunia numerata, recipiendam, pre-

tium bonorum in ſolutum illis aſſignandorum, ex fructibus, quos añuatim proferre ſolent, vero valore ita liquidari, ut cui addicuntur, ex illis proventum annuum conſequatur æquipollentem emolumento, quod ex cenſu conſtituto ante reſolutionem annuatim percepiſſet. Ad fraudes porrò propellendas, quæ in debitorum perniciem facilè conſtrui poſsẽt, volumus, & mandamus, antequã bona, juxta normam hìc præſcriptam æſtimanda, cenſualibus Creditoribus in ſolutum addicantur, eadem per dies novem publicæ haſtæ ſubjacere, trinòq; edicto voce præconia ter in diverſis diebus intra proximos ſex dies publicè, & palam in locis ſolitis vænalia proclamari, illiq; venditionis jure aſſignari, qui in una, vel altera ex publicis auctionibus plurimum licitando obtulerit: dummodo licitationis pretium æſtimationis ex ratione fructuum deſumptæ modũ excedat: neq; cuiquam præſentem Conſtitutionem ſuffragari decernimus, niſi ordinem, & formam præfatarum ſubhaſtationum adamuſſim obſervaverit. Declarantes, eandem ad ſortem duntaxat cenſualem pertinere, neutiquam verò ad fructus, ſivè affictus cenſuales decurſos protendi; ſalvo ſemper, & in quocunque caſu, jure offerendi poſterioribus Creditoribus, ex Iuris, vel Statutorum providentia competente, cui derogatum nolumus.

Dec. in Conſ. die Merc. xi. Februarii 1637.

Ad Mand. Illuſtriſs, & Rev. D. D. Epiſ. & Princip. in Conſilio.

Felix Alberti Cancell.

CON-

## CONTRACTUS AD CAPUT SALVUM.

PRÆTER Summiſtas, in verbo Uſura, ſciendum eſt, Sixtum V. edidiſſe Conſtit. ſuper Contractibus, ſocietatum ad caput ſaluum, vel alia pacta illicita continentibus, & quomodo impoſterum iniri debeant, ut patet ex ejus Conſtitut. publicata Romæ die 25. Octobris 1586. fol. 154. in Bullar. incip. *Deteſtabilis Avaritiæ ingluvies*, & infra.

*HAc noſtra perpetuò valitura Conſtitutione damnamus, & reprobamus omnes, & quoſcunq; contractus, conventiones, & pactiones, poſthac ineundos, ſeu ineundas, per quos, ſeu quas, cavebitur perſonis pecunias, animalia, aut quaſlibet alias res ſocietatis nomine tradentibus, ut etiamſi fortuito caſu quamlibet iacturam, damnum, aut amiſſionem ſequi contingat, ſors ipſa, ſeu capitale ſemper ſalvum ſit, & integrū à ſocio recipiente reſtituatur, ſivè ut de certa quantitate, vel ſumma in ſingulos annos, aut menſes, durante ſocietate, reſpondeatur: Statuimuſque, huiuſmodi contractus, conventiones, & pactiones, uſurarios, & illicitos poſthac cenſeri debere, atque impoſterum non licere iis, qui pecunias, vel animalia, aut alias res in ſocietatem tradent, de certo lucro, ut præfertur, percipiendo, inter ſe paciſci, & concordare, neque etiam ſivè ad certum, ſivè ad incertum lucrum convenerint, ſocios, qui ea recipient, ad ſortem ſeu capitale ſalvum, & integrum, ubi illud caſu fortuito perierit, vel amiſſum erit, reddendum quovis pacto, aut promiſſione ſibi obligare; Ac ne de cetero ſocietates ineantur ſub huiuſmodi pactis, & conditionibus, quæ uſurariam pravitatem ſapiunt, diſtrictè interdicimus, & prohibemus. Sed potius cuncti noverint, ſocietates huiuſmodi, cùm impoſterum unus pecuniam, animalia, aut alias res, & bona, alter verò operam, vel induſtriam confert, purè, ſincerè, & bona fide, ſicut decet, iuſtis, & æquis conditionibus, & pactis, ſecundùm iuris diſpoſitionem, ac ſine ulla prorſus fraude, palliatione, aut uſurariæ pravitatis labe, aut ſuſpicione, ineundas, ſeu contrahendas eſſe, ita, ut non ad certam ſummam, aut quantitatem, ab omni periculo, & damno, ut præfertur, immunem, lucri nomine perſolvendam, neque ad capitale, ſi caſu fortuito perit; reſtituendum, ſocius accipiens teneatur. Si verò, finita ſocietate, ipſum capitale exſtat, ei, qui illud in ſocietatē contulerit, reſtituatur, niſi ſocio recipienti fuerit cōmunicatū, aut aliter inter ipſos cōtrahentes ſuper eo legitimè conventū ſit. Ac præterea ijdē cōtrahentes fructus, expenſas, & damna in cōmune conferant, & prout æquū, & iuſtū fuerit, ſibi cōmunicent, atque dividant. Decernentes, ſi qui contractus, conventiones, & pactiones in futurū contra noſtrā huiuſmodi prohibitionē de facto initi fuerint, nullā ex eis, tamquam per hanc eandem Conſtitutionem noſtram damnatis, & reprobatis, etiamſi iuramento, aut in forma Cameræ Apoſtolicæ, vel aliàs quomodolibet roborati fuerint, obligationem civilem, aut naturalem oriri, nullamque actionem realem, aut perſonalem, nec iudicis officium, neque aliud quodcunque ius cuiquam competere, neque quò ad ſortem, ſeu capitale integrum recuperandum, quod caſu fortuito perierit, aut amiſſum erit, neque quò ad certas ſummas, & quantitates in ſingulos annos, aut menſes, lucri ſocialis nomine promiſſas. Si quis verò impoſterum ſub prædictis conditionibus, & pactis contrahere præſumpſerit, aut prætextu ſimilium contractuum, conventionum, & pactionum ſocietatis nomine initorum, qui hucuſque durant, ad exactionem dictæ ſortis, ſeu capitalis, ſivè illius pretij, & valoris, poſtquam illud in toto, vel in parte caſu fortuito perierit, aut amiſſum ſit, aut certæ ſummæ, vel quantitatis annuæ, aut menſtruæ ſibi promiſſæ in futurum procedere auſi fuerint, eos univerſos, & ſingulos in pœnas contra manifeſtos uſurarios, & fœneratores à ſacris Canonibus, & Conciliis generalibus latas, & promulgatas, eo ipſo incurrere, & contra illos uti manifeſtos uſurarios, & fœneratores, via iuris, alijſque opportunis remediis procedi poſſe, & debere; ſicq; omnibus &c.*

# INDEX RVBRICARUM
Primo Capitula, & Secundo folium numero denotante.

(DE)


A

ARA portatili. Cap. 15. 27.
Adulteris, & concubinarijs. Cap. 62. 81.

B

BLaſphemis. cap. 4. 13.
Bonis Eccleſiæ non alienandis. Cap 45. 67.
Bonis Eccleſiæ adminiſtran. c. 46. 67.
Bonorum Eccleſiarum inventarijs conficiendis. cap. 47. 68.

C

COnfeſſarijs, & eorum examine. Cap. 18. 32.
Clericorum, & mulierum ſuſpecta, & probibita cohabitat. c. 27. 47.
Collatione beneficiorum, examine, & examinatoribus. c. 31. 52.
Clericis ignotis, & peregrinis, ac Regularibus extra clauſtra degentibus. c. 58. 78.
Confraternitatibus. c. 60. 79.
Concubinarijs c. 62. 81.
Conſtitutionibus. c. 67. 85.

D

DOctrina Chriſtiana. c. 7. 17.
Decanorum Ruralium officio cap. 39. 59.

E

ECcleſia Cathedrali. cap. 24. 42.
Eccleſiæ S. Vigilij viſitatione. Cap 25. 41.
Ebrietate Clericis vitanda. c. 28. 49
Eccleſiaſtica libertate c. 37. 57
Eccleſijs, quæ ſunt obnoxiæ iuripatronatus, earumq; patronis, & bonis c. 40. 60.
Eccleſiarum ſartis tectis conſervandis, & reparandis ſi quæ vetuſtate ſint collapſæ. c. 41. 62.
Eccleſiis novis erigendis. c. 42. 62.

F

FEſtis obſervandis c. 23. 40.
Foro Eccleſiaſtico. c. 36. 56.

H

HAereticis c. 2. 8.
Horis Canonicis dicendis Cap. 29. 45.
Hoſpitalium, & aliorum piorum locorum adminiſtrat. cap. 61. 80.

I

IMaginibus c. 16. 28.
Ieiuniorum diebus. c. 23. 40.
Iudæis c. 65. 84.

L

LIbris probibitis, & Typographis Cap. 3. 11.
Locationibus bonorum eccleſiarum. cap. 48. 69.
Legatis ad pias cauſas, & ad quæ teneantur notarij. c. 51. 72.
Legatorum piorum commutatione. cap. 52. 74.

M

MOnialibus. c. 57. 77.

N

NE Curati ſubditos ſuos gravent in exactione iurium Parochialium c. 35.

c. 35. 56.
Ne Clerici ad ſęcularia iudicia trahantur. c. 38. 59.
Novalibus. c. 44. 66.
Ne vacantes Eccleſiæ ſpolientur. c. 49. 69.
Ne Parentes cum Filijs, aut Filiabus, aut Fratres cũ Sororibus in uno lecto dormiant. c. 63. 82.

O

ORnatu Altarium. c. 16. 28.
Obſervandis in collatione Ordinum. c. 21. 36.
Obtinentes Beneficia incompatibilia, de diſpenſationibus doceant. c. 32. 53.
Occupatoribus decimarum, & aliorum bonorum Eccleſiaſticorum. c. 43. 63.
Omnis utriuſq; ſexus. c. 65. 84.

P

PRofeſſione Fidei c. 1. 5.
Prædicatione verbi Dei c. 6. 15.
Prædicatoribus extraordinarijs examinandis. c. 8. 17.
Portione fructuum poſt mortem Clerici reſtantiũ ſucceſſori aſſignanda. c. 54. 75.

Q

QVæſtuarijs Ordinum mendicantiũ. c. 59. 79.

R

REctores Parochialium veniant, aut mittant ad Sacrũ Chriſma conficiendum. c. 12. 22.
Reliquiarum Sanctar. cultu. c. 16. 28.
Reſidentia Curatorum c. 33. 54.
Regularibus c. 56. 76.
Regularibus extra clauſtra degentibus c. 58. 78.

S

SVperſtitionibus. c. 5. 13.
Sacramentis. c. 9. 19.
Sacramento baptiſmi c. 10. 19.
Sacramento confirmationis. c. 11. 21.
Sacramento Euchariſtiæ. c. 13. 23.
Sacrificio Miſſæ c. 14. 25.
Sacramento pænitentiæ. c. 17. 28.
Sacramento extremæ unct. c. 19. 33.
Sacramento ordinis c. 20. 34.
Sacramento Matrimonij. c. 22. 37.
Seminario. c. 30 51.
Syndicis, & Iuratis Eccleſiarum. cap. 50. 70.
Sepulturis c. 55. 75.

T

TEſtamentis Clericorum. c. 53. 74.

V

VIta, & honeſtate cler. c. 26. 45.
Vſuris, & illic. contract. c. 64. 82.
Vicarij, & Coadiutores quando Curatis deputandi. c 34. 55.

FINIS.

IN-

# INDEX

Eorum, quæ hìc addita ſunt de forma conſtituendi cenſus, & de nonnullis illicitis contractibus, quos Parochi, Concionatores, & Confeſſarii tenentur inſectari, & eorum fraudes populo notificare, juxta has Conſtitut. Synod. Cap. 64.


*Declaratio circa normam conſtituendi cenſus, Illuſtriß. & Rev. Card. Chriſtophori.* pag. 86.

*Moderatio affictuum, ſive cenſuum, Illuſtriß. & Rev. Card. Ludovici.* pag. 87.

*Forma conſtituendi cenſus, & declaratio nonnullorum caſuum, & contractuum illicitorum, Illuſtr. & Rev. Card. Caroli.* pag. 89.

*Gravamina adversùs dictam formam, propoſita per Magn. DD. Cons. Civit.* pag. 97.

*Decreta, ſeu reſponſa ad dicta gravam.* pag. 106.

*Quæſita facta per Notarios Iudicar.* pag. 109.

*Reſcripta ad eadem Quæſita.* pag. 111.

*Alia Quæſita per eoſd. Notar.* pag. 113.

*Reſcripta ad dicta Quæſita.* pag. 114.

*Conſtit. nova ſuper diſſolutione Cenſus, Celſiſs. & Rev. Caroli Eman.* pag. 115.

*Conſtit. Sixti PP. V. ſuper contractu ſocietatis.* pag. 117.


FINIS.

BIBLIOTECA DELLA CITTÀ DI TRENTO

X/398

nſus, &
Con-
um

pag. 86.
pag. 87.
pag. 89.
pag. 97.
g. 106.
g. 109.
ag. 111.
ag. 113.
g. 114.
ag. 115.
pag. 117.

D
C


BIBLIOTECA
COMUNALE
TRENTO
T
I
f
11

# CONSTITVT

ILLUSTRISS: ET REVERE

LUDOVICI MA

S. R. E. TITULI S. L

in Lucina, Presbyt. Card. & E

*IN DIOECESANA*

*Promulgatæ Anno 15*

Addita forma conſtituendi cenſus jux
& declaratione nonnullorum caſuu
um illicitorum &c. prout elencl
fine operis oſtendit

CELSISSIMI, AC REVERE

JOSEPHI VICTORII DI

Epiſcopi Principiſq;

*IVSSV DENVO EDITÆ, ET A SINGVLIS ECCLE*



TRIDENTI.

Ex Typographia Epiſcopali Franciſci Nicolai